


AB

153468





1. Melanthonis / philip.
Responsiones ad Im-
pior Articulos Bavari-
ce Inquisitionis, Witte-
berga, 1560.
2. Kemnicij / Mart.
Annotome propositionum
Alberti Hardenbergij de
Coena Domini, Brunsvigo
1561.

3. Spangenberg, Cynicus
11. Drey Freygeordigten
über den Coburg
dem Fürstlichen
Fürstlichen Gott
Eisleben 1560

4. Dreyer Briefe von
dem Abt von phil.
Melanthonis von
den professoribus
zu Wittenberg, 1560

2.

ANATOMIE PROPOSITIO

NVM ALBERTI HAR-
DENBERGII DE COENA DO-
mini, quas exhibuit ordinibus Saxo-
niæ inferioris in conuentu Brun-
sui gensi. Additæ sunt etiam pro-
positiones Ministrorum
Ecclesiæ Bre-
mensis.

Et

DECLARATIO ARTICVLI DE-
cimi in Confessione Augustana de coena Do-
mini, sumpta ex publicis Confessio-
nibus & historijs nostro-
rum temporum.

Per Martinum Kemnium Mi-
nistrum Ecclesiæ Brun-
sui gensis.



Adiuncta sunt alia quædam eius-
dem argumenti à D. Ioachia-
mo Morlino.

ANNALE

PROPHETIA

DE REBUS

DE COENA DO-

MINI QUAE IN

REBUS INTER

PRELATA

ET

REBUS

DE

REBUS

DE

REBUS

DE

REBUS

DE

REBUS

DE

REBUS

DE

REBUS



AMPLISSI
MIS VIRIS, PRVDEN-
tia & virtute præstantibus, Consuli-
bus & toti Senatorio ordini, cele-
berrimæ Reipublicæ Bre-
mensis, dominis
suis obser-
uandis.

DE potestate politica, multa extant apud eth-
nicos scriptores sapienter cogitata, & præ-
clare dicta, Sed nulla maior potest excogitari digni-
tas ordinis Politici, quam quod illum Deus ipse sua
uoce expresse instituit, confirmat, approbat, & mi-
rabili consilio conseruat. Et ut hanc dignitatem re-
cte agnoscant, & diligentia in faciendo officio tue-
antur, sparsæ sunt in scriptura, multæ tales senten-
tiæ, quibus Deus ipsæ, quasi nominatim appellat il-
los, quos ad Rerumpublicarum gubernacula collo-
cauit, & uult auribus illorum diuinas uoces moni-
trices officij, semper insonare, Vt Psal. 2. Et nunc
Reges intelligite, seruite Domino in timore, O scu-
lamini filium. Psal. 24. Attollite portæ capita ue-
stra, & patefiant portæ mundi, ut introeat rex glo-
riæ. Psal. 72. Adorabunt eum omnes reges terræ.
Psal. 138. Confiteantur tibi omnes reges terræ, quia
audierunt uerba oris tui. Cuius generis, multæ pas-
sim in scriptura extant sententiæ. A 2 Vult

Vult igitur Deus Magistratum politicum non esse similem armentario, qui tantum corpora curet, sed seuerè affirmat, ad Magistratus officium pertinere hanc curam, ut homines de uera religione rectè doceantur, & ut illi, qui falsa dogmata spargunt, aut impios cultus instituunt, coërceantur.

Et notissimum debebat esse omnibus Magistratibus politicis, quò ipse Spiritus sanctus conferat causas deprauatæ ueræ doctrinæ & corrupti cultus diuini, Ita enim inquit Iud:17. In diebus illis non erat rex in Israël: sed unusquisq; quod sibi reatum uidebatur, hoc faciebat.

Vult autem Deus huic Magistratus officio, coniunctam esse legitimam cognitionem, si quæ controuersie in negocijs religionis incidant, & quidem formam eius pulcherrime descripsit, quando iubet Magistratum Israëliticum una manu gestare gladium, altera librum legis diuinæ à sacerdotibus accipere, ut habeat secum & legat illam, omnibus diebus uitæ suæ, ut discat timere Dominum DEVM suum, & custodire uerba eius, Deut:17.

Et hoc modo Ioas inauguratur cceremonia pulcherrima, 2. Paral:23.

Hæc doctrina de dignitate & officio ordinis politici, ministerio Lutheri ex scriptis Prophetis & Apostolicis pulcherrime nunc illustrata est, obruta autem & plane sepulta fuit papisticis tenebris in regno pontificio. Et merito uicissim hanc gratiam

pij

pij Magistratus Euangelio debent, ut eo diligentio-
res sint, in faciendo suo officio, ut regi gloriae por-
ta mundi aperiantur, ne illud Ios; 17. nostris Ma-
gistratibus, in his tantis de religione dissidijs, iuste
possit obijci.

Laudanda igitur est uestra, uiri amplissimi uo-
luntas, cum in Ecclesia uestra, a turbatore Harden-
bergio insidiosse conuelleretur perpetua sententia
Augustanae confessionis, & spargeretur peregrina
& falsa doctrina de sacrosancta coena Domini,
quod iudicatis hoc ad officium uestrum pertinere,
ne contagium illud uel diutius haereret, uel longius
serperet.

Et Ecclesiae omnes debent magnas & immorta-
les gratias principibus & ordinibus Saxoniae infe-
rioris, qui ultrò hanc curam in se receperunt, ut tur-
bator iste, cognita causa, coërceretur, ne consensus
ille de doctrina, qui Dei beneficio, est in hisce Eccle-
sijs, turbaretur & distraheretur, Et adhibita fuit,
legitima ratio dijudicationis. Sicut enim Ecclesia,
omnibus temporibus, sua quaedam habuit Symbola,
in quibus forma doctrinae simplici & perspicua me-
thodo, ita comprehensa fuit, ut ab omnibus alijs se-
ctis & corruptelis discerni posset, tale symbolum
ueræ & purioris Ecclesiae, nostro hoc tempore est
Augustana confessio. Quia uerò articulus confes-
sionis de coena Domini, a multis uarie deprauatur,
quaesita & tradita fuit, ex manifestis testimonijs

uera & firma declaratio, quae fuerit sententia doctrinae de coena Domini, in Ecclesijs Augustanae confessioni adiunctis, uiuente Luthero, Et ex hac norma quam certo scimus consentaneam esse uerbo Dei, iudicatum est, Hardenbergij sententiam esse peregrinam, & dissentire ab illa forma doctrinae, cuius summa ex uerbo Dei in Augustana confessione comprehensa est.

Non dubito autem alios plenius narraturos historiam huius actionis, Ego uero quia existimabam fore, ut Hardenbergius non detrectaret colloquium, quod ab ordinibus institutum erat de hac controuersia, quaedam ante conuentum Brunswigensem, huc pertinentia collegeram, quaedam postea diligentius annotaui, illa nescio quo fato ad editionem extruduntur.

Vestro autem nomini uiri amplissimi, hoc qualecunque est scriptum dedicare uolui. Vtile enim est publice extare, multa uera & perspicua testimonia nostras Ecclesias, in hoc certamine de coena Domini, non esse architectatrices nouae sententiae, aut peregrini dogmatis, non fingere inusitatas phrasas, non serere prodigiosas disputationes, nec mouere certamina non necessaria. Ostendendum igitur est, nos natiuam sententiam Augustanae confessionis, de praesentia corporis & sanguinis Domini in coena, simpliciter repetere, fideliter retinere, & perspicue sine omni ambiguitate explicare. Et iudico hanc commo-
nefactionem

nefactionem de inuestiganda, & constituenda uera
declaratione sententiæ de cena Domini in Augusta-
na confessione, nec ingratham, nec in utilem fore illis,
qui formam doctrinæ quæ uiuente Luthero in Eccle-
sijs recepta & probata fuit, amant, amplectuntur &
retinere cupiunt.

Volui etiam hac ratione meam gratitudinem de-
clarare, pro illo magno beneficio Dei, quod & ue-
stram & nostras Ecclesias omnes ab isto insidioso
turbatore, tam clementer liberauit. Et toto pectore
oro ut filius DEI Dominus noster Iesus Christus,
membra sua, quæ hoc dissidio turbata aut luxata
sunt recolligat, & ad studium ueritatis & piæ con-
cordiæ flectat & deducat, utq; nos omnes & docen-
tes & discentes in sana doctrina contra omnes cor-
ruptelas conseruare uelit, propter nominis sui glo-
riam, Amen.

Date Brunswigæ 21. Marcij, Anno Domini 1561.

V. A.

Addictiss:

Martinus Kemnitiuss
Ecclesiæ Brunswigen-
sis Minister.

PROPOSITIONES
ALBERTI HAR-
denbergij, de cœna Domini, quas
exhibuit ordinibus Saxoniae
inferioris in Conuentu
Brunsvigenſi.

I.

Christus ad cœlos ascendens atq[ue]
ad dexteram patris in cœlesti & diui-
na conditione, nobis ineffabili se-
dens, omnia in omnibus Deus & ho-
mo adimplet, perficit, & restaurat.

II.

Christi vero corpus, cœli aliquo lo-
co circumscriptum esse, Sanctus Au-
gustinus, & alij multi patres scribunt,
& eam existimo, veram Ecclesiae do-
ctrinam.

III.

Verum cum cœlestis illa, glorifi-
cati corporis Christi, & futurae vitæ
condicio, in nullius cor hominis as-
cenderit. Nec quicquam diuinis ora-
culis,

culis, de hoc ipso proditum sit, ea de
re contendere cum quoquam nolo.

IIII.

At Christum verum Deum & ho-
minem seruatorem & Mediatorem
nostrum nobiscum esse, iuxta diuinas
scripturas, tuto asserere & possumus,
& debemus.

V.

Et quanquam sciam, similitudines
parum aut nihil probare, neq; ego ex
eis, quicquam temerè asserere velim:
tamen fateor, mihi in hac declaranda
materia, non displicere quod multi
veteres & Neoterici introducunt.
Quemadmodum sol, vno in orbe cœ-
li visibilis etiamnum circumscriptus,
radijs ipse suis, & viuifica luce, vere
& essentialiter totius vbilibet orbis
& terræ præsens est & exhibetur.

VI.

Ita nobis corpus Christi, imò totus
Christus, etiamsi corpore circumscri-
ptus est in loco, per verbum tamen,
& sacra symbola, vere & essentialiter

A S

(non

(non autem, quantitatiue, qualitatiue, aut localiter) in cœna præsens adest & exhibetur.

VII.

Cœna siquidem sacra, teste D. Paulo (verborum Christi expositore) communicatio corporis & sanguinis Domini est, quæ edentibus, cum pane & vino, ex illius institutione verè & essentialiter, in sui memoriam exhibentur, dantur & percipiuntur corpus & sanguis Domini.

VIII.

Verum hæc corporis Domini præsentia, & in cœna exhibitio, non fit aliqua ratione naturæ, seu physico modo, nulla cum sensibilibus signis commixtione, aut inclusione, nullaue loci mutatione.

IX.

Vera tamen est, realis siue substantialis, non ficta, nec imaginaria, quia verbo Domini testificata.

X.

Et hanc corporis Christi in cœna exhibitionem & veram præsentiam, Christia

Christianus homo, verbis Domini
credens, non minus certo agnoscit
& habet, quæ oculi vident, & habent
solem præsentem. Quin & sensibus
hæc vera præsentia, quodammodo per
externa ipsa symbola obijcitur, & ore
(suo modo) sumitur propter admira-
bilem illam sacramentalẽ vnionem
inter symbola & res Sacramenti.

XI.

Cum autem Christus sacrosanctam
hanc cœnam, discipulis suis, in se cre-
dentibus instituerit, atque in Christia-
nitate, id est, Ecclesia sua, hæc institu-
tio valeat, manducationẽ impij (cum
nihil ædificet, nec ad Christi gloriam
faciat) præstiterit coram plebe, silen-
tio tegere, quam sancta & margari-
tas canibus & porcis proijcere, San-
cta sanctis, clamat vetus Ecclesia. Ali-
ud est de indignis, 1. Cor: 11.

XII.

Summa de his rebus a deo diuinis,
& super cœlestibus, omnem humanæ
ratio

rationis captum excedentibus, dictu-
rus, in primis sacrae scripturae, & pia-
vetustatis, deinde, Canonis Niceni,
confessionis Augustanae, iuxta inter-
pretationem Electorum & aliorum
principum ac ordinum Francoforti
congregatorum loquendi formulis
utor.

XIII.

Verum si quis haec, & alia mea dis-
erta, docta scriptaque, ad crassam, carna-
lem, localem seu physicam Christi cor-
poris praesentiam in coena, & mandu-
cationem, seu cum signis commixtio-
nem, inclusionem, siue rursus ad here-
ticum, sophisticum vel Papisticum
sensum peruerterit, detorseritue, huc
ego euitandum iudico.

Si quis porro haec damnare praesu-
mat, ab hoc ego appello ad omnes sta-
tus & doctos, sub Augustana confes-
sione, maxime ad Academias preci-
puas, quae sunt, Vuittenberga, Lip-
sia, Heidelberga, & Marburga.

Datum

Datum Bremæ 17. Decembris, An.
no Domini 1560.

Ego Albertus Hardenbergius
sacrae Theologiae Doctor, Tes-
tor mea manu, quod haec scri-
pturam, meam agnoscam, ad
quam omnia priora mea refera-
ri volo.

ANATOMIE
PROPOSITIONUM
NUM ALBERTI HAR-
DENBERGII DE COENA DO-
mini, monstrans insidias, quæ hu-
iusmodi tergiversationibus
Ecclesiæ struun-
tur.

CVM Cinglius primum, hac vere
Cinfausta tragædia, Ecclesias tur-
baret, id quod apud animum suum,
de cœna Domini sentiebat, tam aper-
te & crasse explicabat, vt eruditi sta-
tim abalienarentur, & rudiores eti-
am, qui in doctrina Catechetica me-
diocriter instituti erant, deprehen-
dere possent, esse vocem alienam,
quæ verbis institutionis luculentam
vim & iniuriam faceret. Qui verò
nunc in possessionem doctrinæ Cin-
glj successerunt, aliud subtilius arti-
ficium, & callidius stratagema inue-
nerunt, vt non statim se ingenuè ape-
riant, quid velint & sentiant, ne de-
prehens-

prehendantur, sed instructis insi-
dijs quærunt sinuosas latebras, vt
id quod reuera, contra doctrinam
de cœna DOMINI, quæ viuentem
Luthero, in Augustana confes-
sione sonuit, in animo conceperunt,
verisimili confessione (sicut Nazia-
nzenus inquit) & plausibili eorum-
dem verborum, quibus aures recte
institutæ assuetæ sunt, pretextu apud
illos, qui non præmoniti sunt, occul-
tent, donec captata occasione, for-
tum suum Cinglianum, quem in an-
gulis, non sine magna trepidatione
hactenus parturierunt, sine inuolu-
cris aliquando in lucem protrudere
ausint & possint.

Et plane simile est artificium, sicut
Irenæus, de certaminibus sui tempo-
ris loquitur, in præfatione p̄ imi
libri. Cum enim viderent hære-
tici, se id quod quærebant, apud
pios recte institutos, non posse nu-
da & crassa phanaticorum dogma-
tum explicatione obtinere, ad hæc
insidias

insidias descenderunt, quòd inter
principia, sententiam suam, palàm,
aperte & ingenue non ostendebant,
ne denudata à filijs Ecclesiæ depre-
henderetur, sed suasio cooperimen-
to (hæc enim sunt interpretis verba)
eam subdolè ita adornabant, vt simi-
lia cum Ecclesia loquentes, rudioria-
bus non essent suspecti, qui nihil ve-
rebantur periculi, cum eadem verba
audirent. Interea verò sensim & pau-
latim, sub illa specie venena sua spar-
gebant. Et fraudes illas, Irenæus val-
de venusta similitudine pingit, dicit
enim esse fallendi artificium, quo va-
tuntur illi, qui adulterinas gemmas
habent. Quando enim eas volunt im-
peritis emptoribus obtrudere, non
nudas proponunt spectandas, sed
bracteis suppositicijs colorem men-
tiuntur, qui ita perstringat oculos,
vt vicia ab incautis non animanduer-
tantur. Tale etiam artificium est Al-
berti & aliorum, quorum ipsè emissã-
rius est, ad turbandas has Ecclesias
recte & pie constitutas. Tergiuersa-
tur

er
n,
at,
e
en
)
i
ia
e
a
a
r
la
it
v
s
n
d
e
s,
er
la
fa
as
a
ur

tur enim, simulat, dissimulat, fingit,
calumniatur, excipit, prouocat, denique
in varias se vertit formas, in suis pro-
positionibus. Et tamen si adhibeatur
consideratio mediocriter diligens,
nec obscurum, nec difficile erit ani-
maduertere & deprehendere, quod
illam opinionem de cœna Domini,
quæ extra omnem controuersiam ma-
nifeste Cingliana est amplectatur,
probet & profiteatur.

Vt igitur vniuersa Christi Eccle-
sia, tergiuersantem istum aduersari-
um ex artificiosis suis insidijs, protra-
ctum in manifesta & clara luce con-
spicere possit, & diiudicare quid mon-
stri alat, existimo commodissimam &
certissimam rationem esse, si institua-
tur resolutio seu anatome illarum pro-
positionum, quas ipse ordinibus Saxo-
niæ inferioris, in conuentu Brunsvi-
gensi, exhibuit & inscripsit Summari-
am doctrinam suæ de cœna Domini
sententiæ. Hoc enim modo, quæ ipse
studiose inuoluit ita euoluentur, vt
tanquam in tabella spectanda proponan-

B tur,

tur, vt pusillus Christi grex lupum
Cinglianum detractis vestimentis
Ouium, agnoscere & cauere possit.

Et fiet hoc sine dubio ab alijs erua
ditius & pro rei dignitate. Ego vero
non Lælijs & Scipionibus, sed cum
mea causa, tum in illorum gratiam
hæc conscripsi, quibus interdum com
monestatione aliqua opus est, vt in
sidias deprehendere & veros fontes
negotij considerare possint. Animad
uertet autem candidus lector, me ni
hil fingere aut odiosius exaggerare,
ideò propositiones suis numeris sig
naui. Addidi alicubi declarationes,
quæ extant in articulis Germanicis,
quos nomine auditorij sui Albertus
spargi passus est, quibus etiam no
men suum subscripsit.

Porro ne opus sit in resolutione sin
gularum propositionum, eadem sæpe
cum tædio repetere, & ordinem dicen
dorum turbare, complectar summam
in aliquod præcipua capita, quæ si in
his propositionibus sicut manifesta
sunt considerentur, dijudicatio facilis
& expedita erit.

Pri

PRIMO.

Quia manifeste & hostiliter à doctri-
na harum Ecclesiarum in articulo de
cœna Domini dissentit, nec tamē vult
veras causas dissensionis aperte profi-
teri, vt statum controuersiaē transpo-
nat & ita lectorum animos à vero sco-
po abducat, confingit longum Catalo-
gum calumniarum, quibus Ecclesias
nostras oblique ita perstringit, quasi
causæ cur doctrinā & sententiam Lu-
theri de cœna Domini per nostrum
latus confodiat & iugulet, hæ sint, &
vt clarius dicam, quasi status huius cer-
taminis & controuersiaē hæc sit, quòd
nos doceamus, præsentiam & exhibi-
tionem corporis Domini in cœna fie-
ri, aliqua ratione naturæ, seu physico
modo, per commixtionem & inclusio-
nem, cum sensibilibus signis aut loci
mutatione, propositione 8. Item cor-
pus Christi præsens adesse, & exhibe-
re in cœna, quantitatiue, qualitatiue
& localiter propositione 6.

In 13. propositione tribuit nobis, qua-
si sentiamus præsentia & manducatio-

B 2

nem

nē corporis Christi in cœna, esse cras-
sam, carnalem, localem, seu physicam
fieri commixtionem, aut inclusionem
corporis Christi cum signis, Ibidem
oblique nobis obiicit etiam Papisti-
cum sensum.

Simili calumnia tribunitium scrip-
tum titulo adiutorij ipsius editum,
Articulo 8. de ministris Ecclesiæ Bre-
mensis, fingit & spargit quasi doce-
ant, panem cœnæ Dominicæ esse cor-
pus Christi, naturaliter, essentialiter
& substantialiter, quod Transubstan-
tiationum est.

Et articulo 7. fingit Bremenses con-
dere nouum articulum fidei, de ubi-
quitate corporis Christi in ligno &
in lapidibus &c.

Cum non ignoret, nos retinere &
probare Lutheri sententiam de hac
quæstione quæ extat in 8. Tomo le-
nensi, fo: 375. quam alibi ascripsi. Et
Albertus ipse in censura, quam ordi-
nibus Saxonix inferioris obtulit 5.

Anno 50
5^o februarij
Februarij dat testimonium Bremen-
sibus, ipsos hoc tantum contendere,
quod

quod corpus & sanguis Christi prae-
sencia sint, in omnibus illis locis ubi
coena iuxta verba institutionis cele-
bratur. Rogatum autem velim candi-
dum lectorem, vt attente hoc confi-
deret. Vlitatum iam est, strepitu dispu-
tationis de vbiquitate homines per-
turbare, & à statu controuersiae abdu-
cere, sed si quæris, quid sub hoc prae-
textu quærant, & agant, strenue hoc
plerique dissimulant, disputantes inte-
rim de lignis, lapidibus &c. Albertus
vero se & socios suos, siue prudens si-
ue imprudens prodit, hæc enim sunt
eius verba in censura numero 3. & se-
quentibus. Concionatores Bremen-
sium asserunt, verum & essenziale cor-
pus & sanguinem Christi, præsentia
esse in omnibus illis locis, in quibus
coena iuxta verba institutionis cele-
bratur, quibus utique verbis vbiquita-
tem corporis Christi palam astruere
conati sunt. Hanc autem confessio-
nem à veritate alienam esse, nec posse
defendi &c. Hæc Albertus.

Et bene hoc nota, quisquis in hæc

B iij

con-

controuersia simplicem veritatē quæ-
ris & amas, Albertum cum suis mani-
pularibus hanc vbiquitatem flagel-
lare, tanquàm falsam & prodigiosam,
quòd filio DEI credimus affirmanti,
verum & essenziale suum corpus &
sanguinem præsentia esse, in omni-
bus illis locis, vbi cœna iuxta verba
institutionis celebratur. Hæc enim
sunt Alberti verba, quæ manifeste
monstrant, cur Cingliani totum ter-
rarum orbem impleant clamoribus
de vbiquitate. Et ideò censuram illam
Alberti integram asseripsumus in fi-
ne.

Talis etiam Sycophantia est, quòd
quidam rogati, cur à Luthero & alijs
Ecclesijs, quæ Lutheri sententiam in
articulo de cœna Domini amplectun-
tur dissentiant, loco confessionis mus-
sitant, id ideò fieri, quia nostræ Eccle-
siæ doceant, corpus Christi in cœna
sumi ore corporali carnaliter & cor-
poraliter, ita vt sit cibus ventris, quæ
plurquam sycophantica calumnia est.

Talia interspersa sunt singulis ferè
propo-

propositionibus Alberti, hoc consilio, ut lector non præmonitus suspicetur, cum hæc sint & absurda & prodigiosa, Hardenbergium habere iustas & necessarias causas, cur à nostrarum Ecclesiarum doctrina differat. Et ipsum nihil aliud agere, quam ut crassæ, prodigiosæ & carnales illæ absurditates ex Ecclesia explodant, & simplex analogia fidei retineatur.

Oblique autem omnia hæc proposuit, ut si accusetur, quod falso & malitiose nostras Ecclesias huiusmodi calumnijs prægrauet, hoc possit habere effugium, se in genere ita locutum, quicumque sint qui tales opiniones alunt.

Sed extant multæ manifestissimæ nostrarum Ecclesiarum declarationes, inde usque ab An. 24. Quæ his proximis annis à multis repetitæ sunt, quod tales absurditates nec doceamus nec probemus.

Hæc cum Hardenbergio non sint ignota, serpentina est malitia, quod fingit sibi alias monstrosas opiniones, cum

B A

quis

quibus pugnet, cum sciat in hac con-
trouersia se esse aduersarium doctri-
næ Lutheri, quæ annis fere 40. in no-
stris Ecclesijs similiter & eodem mo-
do de cœna Domini sonuit.

Et hoc est primarium illud artifi-
cium, multis iam vsitatum, per falso
confictas calumnias statum contro-
uersiæ occultare & transponere, &
animos hominum à vero scopo stre-
pitu calumniarum abducere.

Monstrandum igitur est, quis sit
status controuersiæ inter nos & Al-
bertum, non quem ipse sibi fingit.
Nos enim si qui sunt, qui ita sentiunt,
fatemur nos ab illis serio dissentire.
Sed hic est **STATVS** controuersiæ,
Statu quem Albertus malitiose occultat, in-
uoluit & peruertit, scilicet quia de pa-
ne cui in cœna Dominica benedici-
mus, quem frangimus qui exhibetur
& ore accipitur seu manducatur, filius
us Dei dicit, Hoc est corpus meum
quod pro vobis traditur. An in cœna
Domini, quæ hic in terra iuxta insti-
tutionem peragitur, cum pane visibili
præ-

præfens adsit, exhibeatur & accipia-
tur ipsa substantia corporis Christi,
quæ pro nobis tradita est. An vero
substantia corporis Christi pro nobis
traditi, ita sit in vno certò loco cœli
circumscripta, vt substantia inquam
corporis Christi realiter in cœna Do-
mini, non possit adesse, Adsit autem
tantum vigor, siue efficatia corporis
absentis, cuius scilicet substantia à
cœna, quæ in terra celebratur, tam
procul remota sit, quàm distat cœlum
à terra.

Ad hoc Crinomenon Alberto cla-
re & sine ambiguitate responden-
dum est. De modo verò præsentia
imperuestigabili tradimus tales de-
clarationes, quæ consentaneæ sunt
verbo Dei, quasq; Albertus ne attin-
gere quidem audeat.

Hæc prima obseruatio multas ca-
lumnias, insidias & occultationes ma-
litiosas detegit, & oculis subiicit.

SECUNDO.

Diligenter hoc obseruandum est,

B 5

non

non tantum propter Hardenbergi-
um, sed propter alios etiam. Tantam
esse vim simplicis veritatis, quæ ex
manifestis verbis institutionis extru-
cta est, ut non ausint claris verbis, id
quod sentiunt proponere. Vident
enim fore, ut omnes pij statim abhor-
reant si audiant.

1. Panem & vinum in cœna Domini
esse nuda signa, absentis corporis
Christi.

2. Quod manu ministri in cœna ex-
hibetur, quod ore sumimus, esse tantum
nudum panem. Cor verò interim per
fidem ascendere in cœlum, & ibi spi-
ritualiter vesci corpore Christi.

3. Licet singulis vescentibus filius
Dei dicat, Hoc est corpus meum, ta-
men indignos & hypocritas tantum
panem & vinum accipere.

4. Quod cum pane visibili in cœna
Domini adest, exhibetur & ore acci-
pitur, non esse verum & substantia-
le corpus Christi, sed corpus figura-
tum, significativum, metaphoricum,
imaginarium &c.

Hæc

Hæc 4. capita hoc modo ponuntur in Germanico scripto auditorij Hardenbergici, vt non velint videri negatiuam defendere, ne pias & recte institutas aures, in ipsa statim propositione offendât. Verba igitur in speciem retinent, res ipsas vero manifeste deprauant, sicut postea ostendemus. Didicerunt enim de quo Terentianus ille gloriatur, etiam vera dicendo fallere, Et hoc artificium diligenter obseruandum est.

Eodem modo in aliquot propositionibus Alberti inculcantur & per *Tischam for*
lis.
sonant illæ formulæ loquendi, quæ à multis annis in hoc articulo, viuente Luthero, receptæ & vsitatae fuerunt.

In 6. propositione dicit: Corpus Christi in cœna, verè & essentialiter adest & exhibetur.

In 7. Cum pane & vino verè & essentialiter, dantur & percipiuntur corpus & sanguis Domini.

In 9. Præsentia & exhibitio corporis & sanguinis Domini in cœna, vera, realis siue substantialis est.

In

In 10. Vera præsentia corporis Christi, etiam ore, suo modo sumitur. Quis vero aliquid insidiarū suspicaretur, quando audit easdem plane voces, hæc dem etiam literis & syllabis, quibus sana de cœna Domini doctrina in nostris Ecclesijs solet proponi, cum quidem hæc formulæ loquendi, semper fuerint Cinglianorum corruptelis oppositæ.

Sed siste paulisper gradum, & audi quomodo Albertus ipse suorum verborum optimus & certissimus sit interpretes. Dicit enim in 5. & 6. propositione, se hanc propositionem (Solvere & essentialiter præsens est in terra) ita intelligere, non quod substantia corporis solis, hinc inferius in terra existat, illa enim in vno orbe cœli circumscripta est, sed quod radijs & luce siue efficacia in terra operetur. Et eodem modo dicit se intelligere, quando nominat veram realem, siue substantialem præsentiam corporis Domini in cœna. Atqui insignis & plusquam Sycophantica est hæc malitia.

tia. Cum enim dico, rem aliquam vere
& substantialiter adesse, siue cum no-
mino realem vel substantialem præ-
sentiam alicuius rei, verba illa in sua
propria & genuina significatione a-
liud non possunt significare, quàm
non tantum commonefactionem ef-
fectum seu operationem absentis rei,
sed ipsam substantiam præsentem ad
esse. Hæc omnes qui tantum vsum
linguæ habent intelligunt.

Et tamen hic sycophanta, existimat
nos omnes esse truncos & stipites,
quibus impune possit illudere arbi-
traria, violenta & coacta sua æquivo-
catione vocabulorum Substantiali-
ter & substantialis præsentia.

Maior fuit ingenuitas in Tiguri-
nis. Cum enim Bucerus illis propo-
neret formulam concordia in re Sa-
cramentaria, Anno 36. conscriptam,
Responderunt se illam non posse re-
cipere, propterea, quia enim sentiant
corpus Christi secundum suam sub-
stantiam esse in vno loco cœli, & non
præsens adesse in cœna, quæ hic in
terra

terra celebratur. Ideò etiam se non posse concedere & recipere, quod in formula concordia dicitur: Corpus Christi verè & substantialiter cum pane adesse in cœna, Quia substantialiter adesse, significet ipsam substantiam adesse.

Et operæ precium est considerare, à quibus autoribus veteratoria illa depravationes vocabulorum, verè, substantialiter, essentialiter, realiter, profectæ sint.

Vuolfgangus Musculus, qui nunc manifestè & satis crasse apud Helucius Cinglianizat, cum formulæ concordia Anno 36. subscripsisset, apud collegas suos Cinglianos priuato scripto se excusauit, non debere ipsos offendi illa formula, quòd corpus Christi verè, & substantialiter cum pane adsit in cœna. Nam ipsum etiam Oecolampadium in Dialogo, non abhoruisse ab aduerbio, substantialiter, quatenus opponitur fictitio & imaginario. Hoc autem manifestius interpretatur Caluinus hoc modo.

Quia

Quia non est fictum seu imaginariū,
quando filius Dei spiritualiter in cœ
na efficaciam seu vigorem absentis
sui corporis exhibet. Hactenus & hoc
sensu dicit se non abhorrere ab illis
modis loquendi, verè, realiter, essen-
tialiter, substantialiter &c. Non autē
quod substantia corporis Christi præ
sens sit, vbi cœna ipsius in terra admi-
nistratur. Hæc enim sunt verba Cal-
uini: Dico exhiberi corpus Christi
efficacia, non substantia, vigore non
natura.

Hûc etiam pertinet, quòd Alberti
auditoriū articulo 7. concedit & con-
firmat, naturale seu substantiale cor-
pus Christi in cœna, quæ in multis lo-
cis in terra celebratur, communicari,
participari, sumi, accipi &c. Et quis
hîc mali aliquid suspicaretur? sed ipsi
mox addunt interpretationem, po-
nunt enim hoc axioma: Corpus Chri-
sti quoad substantiam simul & semel
non esse in cœlo, & in multis locis
terræ, in quibus cœna Dominica ad-
ministratur.

Intellia

Intelligunt igitur sumptionē & communicationem corporis absentis.

Et hæc fallacia obseruanda est propter illas generalitates & ambiguitates, quibus nunc multi se conantur occultare, & Ecclesiæ simplicitati illudere, quando expunctis vocabulis veræ & substantialis præsentiaē clamitant, se credere quòd in cœna sumatur verum & substantiale corpus Christi. Item institutam esse in cœna communicationem seu participationem corporis Christi, non imaginarij sed veri. Quàm veteratorie enim, & insidiosè hæc eludantur iam diximus.

Item cum dicunt filium Dei in illa sumptione adesse vere & substantialiter, id intelligunt per communicationem Idiomatum de sola diuina natura, remoto corpore ipsius. Hæc obseruatio in præsentibus certaminibus, omnibus modis necessaria est. Est enim hoc alterum huius temporis artificium, quo sperant se quidem totam Ecclesiam fascinaturos.

TER.

TERTIO.

Hactenus Alberto duo illa personata inuolucra, quibus se occultat, & rudioribus nebulas & præstigias of- fundit, detraximus, 1. calumnias, 2. am- biguas generalitates. Videbimus iam nudum Albertum esse purum putum Cinglianum seu Sacramentarium.

Et ne quis excipiat nos propter ali- quas alias causas Alberto esse iniquio- res, audiamus ipsum pro se loquen- tem, & Confessionis loco in his pro- positionibus declarantem Summari- am doctrinam suæ de cœna Domini sententiæ. Valebunt enim hîc omni iure illæ sententiæ, Ex ore tuo te iu- dico. Item, Ex verbis tuis vel iustifica- beris vel damnaberis. Quatuor au- tem sunt vera & manifesta critiria, quibus Lutherus ipse & omnes Eccle- siæ Augustanæ Confessionis adiun- ctæ, viuentis Lutheri, semper vsæ sunt, ad dinoscendos probandos & dijudicandos Sacramentarios.

I.

An substantia corporis Christi, ita

C

fit

fit vno certo loco cœli circumscripta
vt non possit nisi in vno tantum loco
cœli esse.

II.

Quid illud sit, quod in cœna Do-
mini vescentes ore accipiunt, An os
corporis tantum nudum panem in
cœna accipiat, cum verba institutio-
nis affirment, hoc quod manducatis,
id est, ore accipitis, est corpus meum.

III.

De manducatione indignorum,
quid hypocritæ illi, qui sine viuifica
fide iudicium sibi in cœna mandu-
cant, accipiant. An tantum sit panis,
licet filius Dei dicat: Hoc est corpus
meum.

IIII.

An vocabula in illis verbis, Hoc est
corpus meum, simpliciter sicut so-
nant, in propria significatione acci-
pienda sint. An vero tropica vel figu-
rata interpretatio illis obtrudenda
sit.

Ad hanc normam & ad hæc criti-

ria

ria exigantur verba in propositionibus Alberti, & pronunciet candidus lector, num ipsi fiat iniuria quando vocatur & censetur Cinglianus seu Sacramentarius.

in secunda igitur propositione dicit se existimare corpus Christi cœli aliquo loco circumscriptum esse. Et quid per circumscriptionem intelligat, licet per se notum sit, tamen ne quis dubitet, in 5. propositione talem addit interpretationem: Sicut solis corpus vno in orbe cœli circumscriptum in terra, radijs & luce præsens est, & exhibetur, Talem etiam & eandem esse rationem præsentiae corporis Christi in cœna.

In his verbis Albertus, qui alias ouem gestat in capite, manifeste & satis crasse, Vulpem qui in pectore latet ostentat. Utitur enim illa similitudine, & quidem iisdem verbis, quibus resonat in omnium Cinglianorum templis, sermonibus & libris, quando apertissime volunt sine tergiuersatione & dissimulatione,

tione suam sententiam declarare. Sicut substantia corporis solaris in vno orbe cœli ita circumscripta est, vt simul & semel non possit esse in suo eccentrico, & in orbe Lunæ siue epicyclo Saturni, multo minus hic inferius in terra, sed tantum radijs & luce in diuersis locis terræ se exhibet & operatur. Ita etiam substantiam corporis Christi circumscriptam esse, in aliquo loco cœli. In cœna vero, quæ hîc inferius in terra, & quidem in multis & diuersis locis celebratur, adesse non ipsam substantiam corporis Christi, sed verbum symbolum seu efficaciam eius.

Hanc esse Alberti sententiam extra omnem dubitationem ex 1. 5. & 6. propositionibus manifestum est.

Et adhuc magis se aperit in Germanico scripto, quod sub titulo auditorij sui sparsit. Nam articulo 7. multis contendit, naturale corpus Christi simul & semel, siue pro eodem tempore, tan-

tantum in vno loco in cœlo esse. Et
addit esse prodigiosum errorem, sen-
tire quod substantiale corpus Chri-
sti, pro eodem tempore simul & se-
mel, adsit in multis locis hîc inferi-
us in terra, vbi scilicet iuxta institu-
tionem cœna Dominica celebratur,
& nihilominus tamen superius sit in
cœlo. Et hæc tam manifeste sunt Cin-
glia, vt impudentissimus sit, qui
hoc vel negare vel excusare aufit.

In 10. propositione vbi explicanda
erat quæstio, quid os corporis in cœ-
na Dominica accipiat, non ingenuè
se aperit Albertus, sed sicut sepia se
occultat & inuoluit. Dicit enim vera
præsentia corporis Christi in cœna,
etiam ore suo modo sumitur. Sed
quàm ambigua, generalia, & quàm
prægnantia phanaticarum interpre-
tationum sunt hæc paradoxa: Præ-
sentia corporis Christi, ore sumitur,
& suo modo sumitur? Nec sanè obscu-
rum est, quid velit intelligi, ex illis
quæ subiungit. Sed ne videamur in-

certas coniecturas seu suspiciones se-
qui, planiora addemus. Non est du-
bium 10. propositionem Alberti, con-
suetam esse ex formulis, quæ ex pro-
fesso sunt Cinglianæ, nisi quod præsti-
giator iste, studiose se inuoluit obli-
quis obscuritatibus, vt fucum faciat
illis quibus phrasæ Cinglianorum
non sunt notæ. Extat Cinglij expo-
sitiō fidei ad Christianum regem, vbi
multis disputat, quomodo corpus
Christi etiam externis sensibus in cœ-
na obijciatur, per externa symbola.
Sed ne prolixior sim, ascribam lo-
cum ex Catechismo Anglico, fol: 33.
In quo videbis candidè lector, & sen-
tentiam & ipsa verba 10. proposi-
tionis Alberti. Verba hæc sunt: Quod ad
corpoream Christi hîc in terris præ-
sentiam attinet, sic Christi corpus præ-
sens est nostræ fidei, vt sol cum cerni-
tur præsens est oculo, cuius corpus
tametsi corporaliter oculum non con-
tingat, atq; hîc in terris præsens præ-
senti non adsit, tamen corpus solis
præsens est visui, etiam reluctante
inter-

interualli distantia. Sic CHRISTI
corpus, quod in gloriosa eius ascen-
sione nobis sublatum est, quodque reli-
quit mundum, & ad patrem abiit, ore
nostro abest, etiam cum sacrosan-
ctum corporis & sanguinis eius sa-
cramentum, ore nostro excipimus,
fides tamen nostra versatur in cœlis,
ac intuetur solem illum iustitiæ, ac
præsens præsenti in cœlis, haud ali-
ter illi adest, ac visus adest corpori
solis in cœlis aut sol in terris visui.
Hæc ibi. Et hinc, quid Albertus in 10.
propositione velit, candide lector in-
telligis.

Et adhuc planius in 4. articulo sui
adiutoriij loquitur: Panis terrenus in
usu cœnæ est corpus Christi sacra-
mentaliter, & hoc (scilicet sacramen-
tale corpus) manu ministri exhibe-
tur & ore corporali accipitur.

Per hoc autem sacramentale cor-
pus, filius Dei dat nobis suum natu-
rale, & substantiale corpus, illud
verò tantum fide & corde accipimus
& manducamus &c.

C 4

Non

Non dubium itaq; est, hanc esse Al-
berti sententiam, os corporis in cœ-
na accipere tantum panem, symbo-
lum corporis absentis, cui per meto-
nymiam tribuitur appellatio corpo-
ris signati. Et hæc est certissima nota
Cinglianisimi.

*Quæstio de
indignis.*

Quæstionem de manducatione in-
dignorum, Lutherus censuit esse cer-
tissimum criterium Cinglianorum.

Et Tigurini ideo reiecerunt for-
mulam concordia, quia asserit por-
rigi verè corpus Christi & sanguinem
etiam indignis, & indignos sumere
ubi seruantur verba, & institutio Chri-
sti.

Albertus igitur propositione II. do-
ctrinam de manducatione impiorum
mallet profundo silentio tegi, vt scili-
cet eò facilius declamationibus de
spirituali manducatione se posset oc-
cultare.

Interim vero fingit, nos sine iusta
dokima

dokimasia & examine, sancta & margaritas canibus & porcis, in administratione cœnæ proijcere, cum sciat hoc manifeste falsum esse.

Paulus vero qui probe nouerat, Christum discipulis suis cœnam instituisse, nouerat etiam sanctum non esse proijciendum canibus: tamen tradit & inculcat magna uehementia doctrinam de manducatione indignorum. Et ut præcludat uiam præstigiatrici sophisticæ, quæ fingit discrimen inter manducationem impiorum & indignorum, diserte addit, se loqui de manducatione illorum, qui manducant sibi iudicium, ita ut rei fiant corporis & sanguinis Domini, & hi certe extra omnem controuersiam sunt impij.

Et sane iudicat Paulus doctrinam illam utilem esse ad ædificationem, ut probet se homo, ne iudicium sibi manducet. Falsum igitur est, quòd Albertus dicit, hanc doctrinam non ædificare.

C 5

Et

Et ratiunculae Alberti in ii. propo-
sitione, quibus doctrinam de manduca-
tione impiorum vult sepelire, tantum
sunt tergiuersationes, ne cogatur vul-
pem in pectore latitantem prodere, si
dicat: Infideles tantum accipere panem
& vinum, non autem corpus & san-
guinem Christi, Sed quis erit sensus
verborum, Accipite manducate, Hoc
est corpus meum &c. quae verba tam
Iudae quam Petro dicuntur. Sed ne
qua relinquatur dubitatio, quod in ii.
propositione insidiosè premit & oc-
cultat, illud crassissime aperit, in 5. ar-
ticulo sui auditorij. Inquit enim, impi-
os qui iudicium sibi manducant, tan-
tum sacramentofenus & sacramenta-
liter manducare. Et illud mox per An-
tithesin declarat cum inquit, Impios
non accipere naturam corporis Chri-
sti.

Item impios accipere corpus Chri-
sti sacramentaliter non in substantia.

Ibidem dicit: Omnes communican-
tes tam impij quam piij accipiunt cor-
pus Christi in Sacramento, & cum il-
lo scilicet

lo (scilicet sacramentali corpore) in
gulis offertur substantiale corpus
Christi, sed hoc soli credentes acci-
piunt, impij verò reñciunt. Sed
Paulus diferte dicit: Hypocritas non
reñciendo, sed indigne manducando
sibi reatum & iudicium accersere.
Habet igitur planam responfionem
Alberti, ad critirion illud de mandu-
catione indignorum.

Illud verò crimen falsi est, quòd di-
cit Paulum i. Corinth. ii. non loqui de
impijs aut incredulis, sed de illis in-
dignis (sicut in quinto articulo de-
clarat) qui aliquos, vel in fide, vel in
vita habent n̄uos. Hoc enim pri-
mo falsum est, quia Paulus dicit, se lo-
qui de illis indignis, qui manducant
sibi iudicium, & quale iudicium in-
telligat, explicat, cum inquit: Reus
erit corporis & sauguinis Domini.
Hic certè reatus tantum ad impios &
incredulos pertinet. Deinde co-
gitetur qualis sit doctrina, quam po-
nit in 5. articulo Germanico, Licet
non

non sis impius vel infidelis, tamen potes in cœna tibi manducare tale iudicium, vt reus fias corporis & sanguinis Domini.

Illam vero quæstionem, an vocabula in hac propositione (hoc est corpus meum) sint accipienda simpliciter in propria significatione, an vero illis obtrudenda sit tropica seu figurata interpretatio? in propositionibus non attingit, nisi quod in 7. aliquid mussitat. Hoc enim modo manifeste proderetur.

In scripto vero quod in primo congressu Brunsvigæ ordinibus Saxoniae inferioris obtulit, diserte hoc reprehendit & improbat in Bremensibus, quod asserant verba Christi, quibus in institutione cœnæ vsus est, simpliciter sine vlla interpretatione, vt sonat litera, intelligenda & accipienda esse, ita vt panis & vinum cœnæ Dominicæ sit verum & essenziale corpus & sanguis Christi. Et quòd hæc præsentia

tia sint in omnibus locis, vbi cœna
iuxta verba institutionis celebratur.
Hæc sunt Alberti.

Et hæc sunt 4. manifestissima
Argumenta & testimonia ex Lu-
theri criticis deducta, quæ conuin-
cunt, Albertum esse simpliciter pu-
rum putum Cinglianum & Sacramen-
tarium, & dissidere ab illa doctrina,
quæ viuentem Luthero de cœna Do-
mini in omnibus Ecclesijs Augusta-
næ Confessionis sonuit.

QVARTO.

Dignum est peculiari obserua-
tione, quæ fundamenta Albertus no-
bis proponat, quibus fidem nostram
abductam à manifesta proprietate
verborum institutionis, vult super-
strui, vt corpus Christi ita certo loco
cœli circumscribamus, vt eius sub-
stantiam ex cœna Domini proscriba-
mus. Verborum institutionis, in quibus
propria sedes est huius doctrinæ,
nullam plane facit mentionem. Quia
videt

videt, illa diserte pugnare cum sua
sententia, de absentia corporis Domi-
ni in cœna. Quando enim filius Dei
inquit, Quod adest in cœna, quod cū
pane exhibetur & ore accipitur, hoc
est corpus meum, quod pro vobis tra-
ditur: manifeste loquitur de substan-
tia sui corporis. Illam enim pro vo-
bis traditam esse, ex verbo Dici-
tissimum est.

Locum etiam i. Corinth. 10. quem
hactenus miseris modis vexavit,
nunc ipse fatetur propositione 7. ni-
hil aliud probare, quàm cœnam Do-
mini esse talem communicationem
corporis & sanguinis Domini, qua
vescentibus cum pane & vino, verè
& essentialiter exhibeantur, dentur
& percipiantur corpus & sanguis
Domini.

His igitur testimonijs, quæ pro-
pria & sola sunt fundamenta, in do-
ctrina de cœna Domini, Albertus
suam sententiam de communicatione
absentis corporis, non superstruit
nec potest superstruere. Quæ ergò ha-
bet fundamenta, quod corpus Christi

sicut corpus solare, ita circumscribitur
certo loco cœli, ut licet verba institu-
tionis loquantur de substantia corpo-
ris in cœna, ipse remota substantia,
tantum symbola & efficaciam absen-
tis corporis in cœna relinquat.

Omnia enim necesse est, funda-
menta illa esse valde illustra certa &
firma, si vult nos deferere manifestissi-
mam proprietatem verborum insti-
tutionis.

Arrige igitur nunc aures & bene
nota, arenam vel stipulam cui Al-
bertus turbulentam suam & meticulo-
sam fidem superstruit.

In 5. propositione affert similitudi-
nem de corpore solis & radijs eius.
Sed ipse pronunciat, similitudines pa-
rum aut nihil probare, & ex eis non
esse temerè quicquid asserendum. Nota
ergo quam certum & firmum sit fun-
damentum hoc iudicio ipsius auctoris.

In 2. propositione dicit, se quidem
existimare corpus CHRISTI ali-
quo loco circumscriptum esse. Et
propter hanc suam opinionem, siue
existia

existimationem (vt ita dicam) substantiam corporis Christi contra verba institutionis, ex cœna remouet.

Sed in 3. propositione mox dicit, se ea de re, cum nemine velle contendere, quia cœlestis illa glorificati corporis Christi conditio, in nullius corporis hominis ascenderit, nec quicquid certi de hoc ipso diuinis oraculis proditum sit. Hic non opus est proluxa refutatione, tantum consideretur, qualia sint fundamenta quæ Albertus proponit, de quorum imbecillitate & incertitudine ipse autor pronunciat. Et sane stultissimus sit oportet, qui relicta manifesta proprietate & certitudine verborum institutionis, tam lubricæ arenæ & ventosæ stipulæ, fidem suam superstruat, cum Paulus de hoc mysterio dicat: Qui non diiudicat corpus Domini in cœna, manducat sibi iudicium. Manifestum est enim, fundamentum opinionis Alberti hoc esse: Corpus Christi vno certo loco cœli circumscriptum esse, sicut corpus solare

lare. Sed diserte fatetur, se huius suæ opinionis nulla habere satis certa & firma testimonia. Ita enim in 3. propositione, de sua opinione loquitur. 1. In nullius cor hominis ascendit. 2. Nihil certi diuinis oraculis de hoc ipso proditum est. 3. Nolo cum quocq; de hac re contendere.

Diligenter hoc quæso candide lector nota, quæ & qualis sit Alberti & omnium Cinglianorum fides de cœna Domini, postq; à clarissimis verbis cœnæ discesserunt. Non enim poterit rectius definiri, quàm ipsius Alberti verbis, quòd scilicet sit præsumpta opinio, de qua nihil certi diuinis oraculis proditum est, quæq; in nullius cor hominis ascendit, & cui ipse Albertus in sua conscientia tantum tribuit, vt cum nemine de ea velit contendere. Hæc enim sunt verba 3. propositionis.

Et non dubito diuinitus factum esse, quod Albertus qui alias in toto hoc negotio, præstigijs & ambiguis tergiuersationibus ludit, hîc se & socios

D

cios

eios suos tam turpiter prodat. Vt ci-
ferantur enim esse indubitatum fidei
articulum, Substantiam corporis Chri-
sti ita definito loco cœli contineri, vt
simul & eodem tempore non possit
hic inferius in terra in diuersis locis,
vbi cœna Dominica celebratur, ad ef-
se.

Et Albertus in 2. propositione di-
cit, se existimare hanc esse veram do-
ctrinam. Sed qualis sit certitudo, mox
in 3. propositione declarat, cum in-
quit: In nullius cor hominis ascendit,
nec quicq̃ certi diuinis oraculis de
hoc ipso proditum est, Et ea de re con-
tendere cum quocq̃ nolo. Hic quæso
paulisper candidus lector se colligat
& rem consideret.

Discedunt Cingliani à natia pro-
prietate verborum institutionis. Si
quæris rationem, respondent: Esse
articulum fidei, quòd corpus Christi
non possit nisi tantum in vno loco
esse. Sed si vis scire, q̃ certa sit ipsorum
conscientia, lege tantum 3. propositio-
nem Alberti. Quis verò nisi infans,
in

in hoc tanto mysterio, fidem suam
contra manifesta verba institutionis,
tali fundamento committeret? Et dig-
num est perpetua obseruatione, quod
ipse Augustinus, quem huius opinio-
nis autorem citat propositione 2. e-
pistolam ad Dardanum, vbi hoc dis-
putat, ita concludit: Quicquid in ope-
re styli nostri vtiliter elaboratum esse
agnoscis, Deo gratias age. Si qua au-
tem vicia mea perspicias, vti charissi-
mus amicus ignosce, eadem scilicet
synceritate dilectionis mihi optans
medicinam, qua concedis & veniam.
Hæc Augustinus. Quomodo quæso
conscientiæ nostræ in conspectu Dei
satisfaciamus, si propter hanc, tam in-
certam opinionem, à manifestissimis
verbis testamenti filij DE I disceda-
mus?

Iurè igitur & merito verba 3. propo-
sitionis Alberti, tanq̃ titulus & em-
blema, inscribenda essent omnium
Sacramentariorum libris: In nullius
cor hominis ascendit, nec quicq̃ certi
diuinis oraculis de hoc ipso proditum
est.

D 2

Eo

Eodem modo, magna asseueratione
vociferantur, se articulo fidei de as-
censione Christi ad cœlos, moueri, vt
à natiua & manifesta proprietate ver-
borum cœnæ discedant.

Sed Albertus manifestissima veri-
tatis luce conuictus, fateretur in 1. pro-
positione, articulum de ascensione
Christi ad cœlos, humanam ipsius na-
turam non ita in ordinem redigere,
vt nihil amplius habeat vel possit,
quàm nostra corpora, sed illam exal-
tatam esse ad cœlestē & diuinam con-
ditionem nobis ineffabilem.

Consideret iam candidus lector,
quomodo Cingliana illa consequen-
tia subsistat: Nostra corpora non possunt
simul & eodem tempore in plu-
ribus & diuersis locis esse. Ergo Chri-
sti corpus, quod dextera virtutis &
maiestatis Dei exaltatum est, hoc eti-
am non potest, licet filius Dei certis
& manifestis verbis affirmet, Hoc est
corpus meum.

Animaduerto sanè Albertum in 1.
& 4. propositionibus, quædam occul-
tare

tare, sed si se aperuerit, poterit ei re-
sponderi ex doctrina de communica-
tione idiomatum. Bucerus certe, ex
quo videtur Albertus verba 4. pro-
positionis mutuatus, ita inquit, in 26.
Matthæi: Christus non solum vt De-
us, sed etiam vt verus homo mediator
& seruator noster est, & instaurabit
omnia. Vt verum itaq; hominem esse
eum nobiscum & in nobis oportet,
dixit enim: Ego veniam ad vos &
mansionem apud vos cum patre fa-
ciam. Item, qui manducat meam car-
nem, & bibit meum sanguinem, ille
in me manet, & ego in eo. Hæc au-
tem Domini apud nos etiam, vt caro
& sanguis, id est, vt homo, est præsen-
tia & mansio. Nunc tantum volui ex
his propositionibus ostendere, quàm
nihil certi aut firmi habeat Albertus
in sua opinione de cœna Domini.

POSTREMO.

In 12. & 13. propositionibus, plenis
buccis vendicat suæ opinioni autori-
tatem scripturæ, antiquitatis & Au-
gustanæ

D ;

gustanæ

gustanæ Confessionis, sed quàm verè
id faciat, ex hoc vno intelligi potest.
Filius Dei de pane cœnæ dicit: Hoc
est corpus meū, quod pro vobis tradi-
tur. Et cum certissimum sit, verum &
substantiale Christi corpus pro nobis
traditum esse, Albertus tamen flagel-
lat & rejicit illam propositionem, Pa-
nis in vsu cœnæ est verum & substan-
tiale corpus Christi. In Canone Ni-
ceno, manifeste committit crimen fal-
si. Quia enim Canon dicit mentem
esse subleuandam &c. Albertus af-
fingit: Ergo substantia corporis Chri-
sti non adest in cœna, sed fidem oportet
ascendere in cœlum & ibi appre-
hendere corpus Christi, definito loco
cœli comprehensum.

Sed Canon Nicenus expresse dicit:
Non attendamus humiliter ad panem
& poculum, in hac diuina mensa pro-
posita, sed subleuantes mentem fide
intelligamus iacere in illa sacra men-
sa, agnum illum Dei qui tollit pecca-
ta mundi &c.

Ergò in eadem illa mensa, in qua
panis

panis & vinum in ysu cœnæ propo-
nuntur, adest agnus Dei cum precio-
so suo corpore & sanguine, sicut ver-
ba illa sequuntur in Niceno Canone.
Quid igitur Albertus non faceret Au-
gustanæ Confessioni, qui nec scripturæ
nec antiquitati nec concilijs par-
cit? Viderint autem Academiæ, do-
cti, status & Principes quos nominat
propositione 12. & 13. an honorificum
sit, quòd ipsis Albertus tribuit, quasi
corpus Christi captiuatum ergastulo
aliquo in cœlo concluderint & alliga-
rint, vt, licet clamitet, Hoc est corpus
meum, tamen non liceat ipsi corpore
suo in cœna adesse.

Et hæc est simplex Resolutio pro-
positionum Alberti, de qua pius Le-
ctor candide iudicet.

Quòd autem illa, quam nunc dete-
ximus Hardenbergij sententia pug-
net cū vera, perpetua & consentienti
doctrina Augustanæ confessionis, li-
quidò demonstrabimus ex vera &
simplici declaratione decimi articuli
in Augustana Confessione de cœna
Domini.

D 4

Decla

DECLARATIO
ARTICVLI DECIMI IN
AVGVSTANA CONFESIONE
de præsentia veri corporis & sangui-
nis Iesu Christi in cœna Domini,
sumpta ex publicis confessionibus &
historijs nestrorum temporum. Quæ
scilicet fuerit sententia, quæ viuen-
te Luthero, de cœna Domini, in
Ecclesijs Augustanæ con-
fessionis coniunctis,
constanter so-
nuit.

Firma & solida fundamenta sen-
tentia de vera & substantiali præ-
sentia corporis & sanguinis Domini
in cœna, alibi, quantum piæ simplici-
tati satis est, ex verbo Dei monstraui
& explicaui. Hic verò tantum tracta-
bimus declarationē Augustanæ con-
fessionis de hoc articulo. Sicut enim
Ecclesia omnibus temporibus habuit
sua quædam symbola, in quibus for-
ma doctrinæ simplici & perspicua
methodo, ita comprehensa fuit, vt ab
omni-

omnibus alijs sectis & corruptelis
discerni posset: tale symbolum veræ
& purioris Ecclesiæ nostro hoc tem-
pore, est Augustana Confessio.

Quia verò iam omnes ferme pha-
natici, corruptelas suas tanq̃ sub Or-
tigalea, occultant & sub titulo Augu-
stanae confessionis venditant, præci-
puè in controuersia de cœna Domi-
nica, sicut Albertus in 12. & 13. propo-
sitione non veretur prouocare ad om-
nes status & doctos sub Augustana
confessione. Et simpliciores partim
fascinantur, multi perturbantur au-
gusto illo titulo receptæ Confessio-
nis. Vtilis igitur, & necessaria est hæc
cura & diligentia, vt vera & genuina
sententia Augustanae confessionis, in
articulo de cœna Domini, perspicuè
& sine omni ambiguitate, ex veris
testimonijs Ecclesiæ explicetur, vt
hac natiuæ declarationis demonstra-
tione, insidiæ & præstigię phanati-
corum detegantur, & simpliciores qui
amantes sunt veritatis, erudiantur.
Et sanè pudenda esset vniuersæ Ec-
clesiæ

D S

elefiæ

clesiæ ignominia, nunc demum post
annos 30. in quaestionem & dubitatio-
nem vocari, quæ sit sententia eius do-
ctrinæ de eozna Domini, quæ tanto
consensu in omnibus Augustanæ con-
fessionis Ecclesijs sonuit: quæ toties
in publicis Confessionibus toti orbi
proposita fuit. Sed quia inter cæteras
postremi temporis calamitates, hæc
vna non minima est quæ Ecclesiam
exercet, vtile est extare multa, vera
perspicua & firma testimonia, ex ve-
ris fontibus sumpta, quæ opponi pos-
sint huiusmodi præstigijs, vt eo facili-
us caueantur & vitentur.

Est autem omnium certissima &
expeditissima ratio, quæ non acu-
tum, sed mediocriter tantum atten-
tum lectorem requirit, vt historiæ cer-
taminum & confessionum, quæ vi-
uente Luthero de hoc articulo in Ec-
clesia acciderunt, ordine consideran-
dæ proponantur. Neq; enim vt arbi-
tror tam profligate impudens quis
erit, vt Lutherum & doctrinam ipsi-
us ex Augustana confessione aperte
proscribere ausit. Sed hoc luce meris

diaria clarius est, illam esse veram sen-
tentiam Augustanae Confessionis, si-
cut vnanimi consensu in omnibus
nostris Ecclesijs, viuentem Luthero,
constanter intellecta & tradita fuit.

Simplici igitur & breui comonefa-
ctione ostendemus, vnde constituen-
da, vbi & quomodo quaerenda sit vera
declaratio huius articuli, vt lector ad-
hibita accuratiori diligentia, ipse ex
veris fontibus hoc negocium dijudica-
re possit, ne quouis nouo & peregrino
opinionum & interpretationum
vento, sub titulo Augustanae Confes-
sionis circumferamur.

Ita autem distribuemus hanc histo-
ricam recitationem, vt primo dicamus
de temporibus ante conscriptam Au-
gustanam confessionem. 2. De ipsa con-
fessione & Apologia. 3. De tempori-
bus, quae viuentem Luthero insecuta
sunt exhibitionem Confessionis.

Anno igitur 1523. (vt hinc ordia-
mur) cum Vualdenses in Confessio-
ne sua, quam Luthero miserant, natu-
rale & substantiale corpus CHRIS-
TI e coena remouerent, & inte-

rim multa de spirituali communionem
meritorum Christi, quæ per fidem fit
etiam extra usum cœnæ, disputarent,
Lutherus ipsis placide monstravit,
hanc sententiam non esse consentaneam
verbis institutionis, ideò eam
à nostris Ecclesijs, nec probari nec re-
cipi.

Cum verò Anno 1524. Carlstadius
& postea Cinglius, Oecolampadius
& alij, publice magnis tumultibus,
substantiam corporis Christi è cœ-
na Dominica proscriberent, & ad
unicum certum locum cœli deporta-
re vellent, non tantum Lutherus pro-
lixè & perspicue suam sententiam in
varijs & iustis scriptis explicavit, sed
& aliarum Ecclesiarum præcipui do-
ctores publice se Cingliano dogmati
opposuerunt, quorum scripta adhuc
extant, ex quibus manifestissime po-
test demonstrari, quæ sententia illis
temporibus, vt Sacramentaria, dam-
nata fuerit. Et de illis possent alia
quædam utiliter commemorari, sed
propere ad ipsam Augustanam con-
fessionem.

fessionem. Illud verò prius diligenter considerandum est, cum An. 3529. tentandæ concordæ aut conciliationis gratia in re Sacramentaria, institutum fuisset colloquium Marpurgense, Cinglius cum suis socijs tandem ita se declaravit, se non ponere omnino nuda signa in cœna, sed exhiberi ibi spiritualem communionem corporis & sanguinis Christi, & vsum illum institutum esse, vt fides in infirmis conscientijs confirmetur, & charitas augeatur per spiritum sanctum. Hæc extant in 14. articulo Marpurgensi. Quia verò in hac negatiua persistebant, substantiam corporis Christi non adesse præsentem hic inferius in terra, vbi pane & vino cœna Dominica iuxta institutionem administratur, Lutherus igitur cum suis noluit Cinglianos pro fratribus agnoscere, nec ipsis dextras societatis præbere. Et hoc diligenter obseruandum est, quæ notatio siue descriptio Cinglianismi tradita fuerit in Colloquio Marpurgensi, illos scilicet censendos

sendos esse Sacramentarios, qui corpus Christi ita vno loco concludunt, vt sentiant substantiam eius realiter non adesse in pane & vino cœnæ Dominicæ, etiamsi aliàs multa magnifice concionentur de spiritali communionem corporis & sanguinis Christi, & de fructu eius. Talis fuit doctrina de cœna Domini in Ecclesijs, quæ Euangelio Christi nomen dederant, talis notatio & probatio Sacramentorum ante exhibitam confessionem Augustanam.

*Confessio
Augustana*

Anno autē 1530. in confessione communi & publica, sicut illa Carolo. V. Imperatori Augustæ exhibita est, articulus .x. de cœna Domini ita positus est, vt manifestum sit comprobari & confirmari illam sententiam, quæ à moto certamine Cingliano vsq; ad annum 30. in illis Ecclesijs quæ doctrinam ministerio Lutheri ex fontibus Prophetis & Apostolicis repurgatā, amplexæ erant, sonuerat. Ita enim habet articulus decimus in Confessione, quæ exhibita est Imperatori Augustæ, An. 1530. De cœna Domini

*Articulus
30*

docent, quod corpus & sanguis Domini vere adsint, & distribuantur vescen-
tibus in cœna. Et improbant secus
docentes.

Et nequa dubitatio sit de sententia,
Lutherus eodem tempore misit Augu-
stam 17. articulos complectentes sum-
mam suæ doctrinæ, & in 10. inquit:
Eucharistiam constare duobus mem-
bris. 1. Vera præsentia veri corporis
& sanguinis Christi in pane & vino,
iuxta verba, Hoc est corpus meum,
Hic est sanguis meus. 2. Vero usu.
Vide Tomo 5. lenensi fo: 20.

Addita etiam est illustris antithesis,
Et improbant secus docentes. Illos
scilicet, qui (sicut in Colloquio Mar-
purgensi) ita concionantur de spiri-
tuali exhibitione & communionem, ut
veram realem & substantialem præ-
sentiam corporis & sanguinis Domi-
ni à cœna remoueant.

Et quod illa antithesi, nostri in con-
fessione, sicut exhibita est an. 30, volue-
runt Sacramentarios notare, & se ab
illis separare, tria sunt manifestissima
& firmissima testimonia. Exo

1. Extat narratio Spalatini in Tomo 5. Ienensi, fol. 38. cuius verba hæc sunt. In singulis articulis antitheses seu contraria & erronea dogmata, vt Sacramentarium & Anabaptistarum reiecta & improbata sunt.

Si verò quæris quæ fuerint illo tempore dogmata Sacramentarium, quæ improbata sunt, consule historiam colloquij Marpurgensis.

2. Extat manifesta declaratio in articulis Lutheri, quos Augustam misit, vt supra dictum est. Ibi enim discrete dicit, illos intelligi aduersarios, qui sentiant tantum panem & vinum adesse in cœna Domini, & non verè ibi adesse in pane & vino verum corpus & sanguinem Christi.

3. Manifestissimum est hoc testimonium, quod 4. vrbes imperij, quæ diuersam sententiam, de absentia substantiæ corporis & sanguinis Domini in cœna amplexæ erant, non sunt admissæ ad subscriptionem Augustanæ Confessionis. Et quidem noluerunt subscribere, sed obtulerunt de hoc



hoc articulo peculiarem & dissentien-
tem confessionem. Intellexerunt
enim utrinque Sacramentarios in 10.
articulo Confessionis damnari per
hæc verba, Et improbant secus docen-
tes.

Et bene observandum est, quæ fue-
rit sententia Confessionis illarum ci-
uitatum. Concedebant filium Dei iux-
ta diuinitatem adesse in actione cœ-
næ, & exhibere credentibus spiritua-
lem communionem, spiritus meriti &
efficaciæ corporis sui. Sed quia ne-
gabant veram & substantialem præ-
sentiam corporis Domini in cœna,
nec admissi sunt, & quidem non vo-
luerunt se adiungere Confessionis Au-
gustanæ.

Manifestissimum igitur est, quid
fuerit Cinglianismus, & qui habiti
fuerint pro Sacramentarijs illo tem-
pore, cum Augustana Confessio exhi-
beretur. Et ex illa antithesi vera &
natiua sententia decimi articuli in
Augustana Confessione solide & per-
spicue declaratur.

E

Et

Et ut eò maior & firmiter sit certitudo in Apologia quæ mox insecuta est Confessionem, addita est illustris declaratio & insignis probatio veræ præsentia corporis Christi in cœna. Ne enim verba Confessionis (vere adsint) eluderentur illa similitudine: Sicut sol adest in terra vel alio modo, Apologia ita loquitur, quòd in cœna Domini verè & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi, hoc est, quod ipsa substantia corporis & sanguinis Christi adsit in cœna, & verè exhibeatur cum illis rebus quæ videntur, pane & vino.

Et ut eò illustrior sit declaratio, Apologia nominat corporalem præsentiam Christi. Et affirmat Christum non tantum spiritu, sed & corporaliter nobis exhiberi in cœna. Quod non de modo præsentia aut exhibitionis intelligitur: sed de substantia corporis Christi, quæ & præsens adest, & exhibetur in cœna. Et aduersus illud Corporaliter Apologia studiosè voluit usurpare, ut ostenderet,
in

in quo dissentiat à Cinglianis, nempe sicut habet 14. articulus Colloquij Marpurgensis, qui, si cum verbis Apologiae conferatur, non parum lucis accedet. Dicit etiam Apologia, verè & substantialiter adesse & exhiberi corpus & sanguinem Christi, his qui sacramentum accipiunt. Certum autem est, non tantum bonos, verum etiam malos Christianos sacramentum accipere. Affirmatur itaq; etiam indignorum manducatio, sicut Confessio etiam in genere nominat Vescentes.

Præterea in Apologia illustribus testimonijs & scripturæ & antiquitatis confirmatur sententia de vera & substantiali præsentia corporis & sanguinis Domini in cœna. Hæc enim sunt eius verba: Cum Paulus dicat panem esse participationem corporis Domini &c. sequeretur panem non esse participationem corporis, sed tantum spiritus CHRISTI, si non adesset verè corpus Domini. Hoc testimonium propterea bene notandum est. Multi enim nunc, qui titulo Augustanæ

E 2

gustanæ

gustanæ Confessionis se venditant.
Hanc Pauli sententiam opponunt
verbis cœnæ, & exponunt illam de
sola participatione spirituali, ita vt
præsentiæ corporis Christi cœna ex
cludant.

Et ex Cyrillo allegatur longa sen-
tentia, Christum non tantum fide &
charitate spiritualiter nobis coniun-
gi, sed corporaliter quoq; comunica-
tione carnis suæ, & participatione na-
turali, quæ fit in cœna, in nobis habi-
tare. Hæc sunt verba quæ Apologia
& citat & probat. Et accomodatio ad
dijudicationem Cinglianismi mani-
festa est.

Liquido igitur ostendimus, quæ
fuerit sententia Augustanæ Confes-
sionis, de cœna Domini in decimo
articulo, illo tempore, cum & conscri-
beretur & exhiberetur, An. 1530. Au-
gustæ imperatori Carolo. Constat
& hoc, quæ sententia tunc habita fue-
rit pro Cingliana seu Sacramenta-
ria.

Pergamus iam ostendere, quod eo-
dem

dem modo similes & constanter consentientes declarationes huius in Augustana confessione articuli, post Annum 30. viuentē Luthero, in Ecclesijs repetitæ & traditæ sunt. Dicemus autem potissimum de publicis Confessionibus & certaminibus.

Anno igitur 32. & 33. plerique ex Cinglianis, cum viderent se statim deprehendi, si aperto Marte negocium tractarent, insidiosè linguam, non animum cœperunt mutare. Usurpant enim formulam Augustanæ Confessionis, & tamen pristinam nihilominus opinionem, de absentia corporis Christi retinebant. Dicebant verum corpus & sanguinem Christi exhiberi & accipi in cœna, sed intelligebant exhibitionem & sumptionem spiritualem absentis corporis, quæ sola fide fit. Imò non verebantur ita loqui: Corpus Christi verè præsens esse in sacramento. Intelligebant autem præsentiam sacramentalem efficaciam tantum, non substantiæ corporis Christi.

E 3

Illis

Illis Lutherus opposuit publicum scriptum, ad Ducem Prussiae & ad Francofortenses. Et tradit regulam, quomodo contra tales bilingues Cinglianos status controuersiae constituendus sit, scilicet: quid illud sit, quod in usu coenae Dominicae manu ministri exhibetur, & quid illud sit, quod uescentes in coena ore accipiunt.

Et hic notet lector, quae fuerit sententia Augustanae Confessionis post annum 30. in articulo de coena Domini, & quae opinio habita fuerit Cingliana seu Sacramentaria. Diserte enim Augustanae Confessionis & Apologiae mentio fit in Epistola Lutheri ad Francofortenses. Est igitur haec declaratio indubitata Confessionis Augustanae.

An. 1536. cum Doctores quarundam Ecclesiarum superioris Germaniae uellent se cum Luthero coniungere in doctrina de re sacramentaria, non uoluit illos prius recipere, nisi diserte duo haec profiterentur. 1. Eucharistiam ita constare duabus rebus, quod cum
pane

pane & vino, verè & substantialiter
adsint, exhibeantur & sumantur cor-
pus & sanguis Christi. 2. Porrigi verè
corpus Christi & sanguinem etiam in
dignis, & indignos sumere vbi seruan-
tur verba & institutio Christi.

Et Tigurini ipsi recitant, se propter
hæc duo membra repudialle formu-
lam illam concordia.

Manifestum igitur etiam hinc est,
in quam sententiam tunc exposita &
tradita fuerit declaratio doctrinae hu-
ius articuli in confessiõe Augustana.
Manifestum etiam est, ipsorum Tigu-
rinorum confessione, quæ sententia
tunc habita fuerit pro Cingliana &
Sacramentaria.

Porro obseruandum est, cum ver-
bo exhibendi, quod in confessione &
Apologia positum est, quidam lude-
rent, sicut nunc Calvinistæ faciunt:
posita igitur sunt in formula concor-
diæ hæc tria vocabula, adesse, exhi-
beri, & sumi. Et ad singula refertur
aduerbium substantialiter, vt osten-
datur in cœna substantiam corporis

E A &

& sanguinis Christi adesse, substantiam exhiberi, substantiam sumi, & quidem etiam ab indignis.

Ponitur etiam in formula concordia ille modus loquendi, Panem & vinum cœnæ esse corpus & sanguinem Christi non per transubstantiationem, aut localem inclusionem, sed vnione sacramentali. Et vnio sacramentalis explicatur, quòd Eucharistia constet duabus rebus, ita quod in vsu cœnæ cum pane & vino verè & substantialiter adsint, exhibeantur & sumantur corpus & sanguis Christi.

Hæc propterea annoto, quia magnum habent vsum in præsentibus certaminibus & controuersijs.

An. 1537. Cum in conuentu Schmalcaldico, omnium fermè Ecclesiarum nomine repetita subscriptione, Confessio Augustana & Apologia eiusdem comprobata esset, vt esset quasi symbolum, forma & corpus doctrinæ in nostris Ecclesijs receptæ & probatæ, Instituta est inter cætera, repetitio
arti

articuli de cœna Domini. Et quia ani
maduertebat Lutherus (sicut postea
dicam) formulam concordiaẽ à qui-
busdam veteratoriẽ eludi , singulari
consilio articulum illum his verbis
scripsit.

De sacramento Altaris sentimus,
panem & vinum in cœna esse verum
corpus & sanguinem Christi. Et sen-
timus hæc porrigi & accipi non tan-
tum à bonis , verum etiam à malis
Christianis.

Et obseruet candidus Lector, Lu-
therum in illis articulis diserte impro-
bare & reijcere transubstantiatio-
nem. Et tamen retinet formam ver-
borum institutionis, panem cœnae es-
se verum corpus Christi, ita vt porri-
gatur & sumatur, non tantum à bo-
nis sed etiam à malis Christianis.

Anno 1538. edita est postremò for-
mula visitationis Saxonicae, vt esset
præmonstratio omnibus alijs Eccle-
sijs. Ibi verò multis verbis populo
proponenda mandatur hæc doctri-

E s na,

na, quod in pane verum corpus & in
vino verus sanguis Christi sint.

Adduntur etiam probationes & te-
stimonia ex verbis institutionis.

Et locus 1. Cor. 10. ita explicatur: Pa-
nis quem frangimus est communica-
tum seu distributum corpus Christi.
Reijcitur etiam & refellitur illa ex-
positio, quæ fingit panem esse com-
municationem, non præsentis veri
corporis Christi, sed tantum verbi &
spiritus.

Publicum igitur hoc est testimoni-
um, quo sensu & intellectu, non tan-
tum à vulgo accepta, sed ab ipsis do-
ctoribus præscripta, & à Pastoribus
tradita fuerit doctrina Augustanæ
Confessionis de cœna Domini in Ec-
clesijs Saxonicis.

Deinde Anno 1541. in Colloquio
Ratisponensi, publico Ecclesiarum
nomine repetita & explicata est sen-
tentia Augustanæ Confessionis de
cœna Domini, his verbis: Christus
inquit, Accipite manducate, hoc est
coro

in
e
a
i
k
n
ri
&
i
a
s
æ
c
o
m
e
s
st
e

corpus meum. Bibite, hic est sanguis
meus. Ideò fatemur in cœna Domi-
ni, cum pane & vino verè & realiter
corpus & sanguinem Domini adesse
& exhiberi sumentibus. Sic & Pau-
lus inquit: Panis quem frangimus,
nonne participatio corporis Domi-
ni est?

Improbamus igitur eos, qui non
confitentur veram præsentiam cor-
poris & sanguinis Domini. Et tene-
mus quòd docet Euangeliũ, & quod
confitentur sancti Patres. Ut Hila-
rius inquit: Domini professione &
fide nostra, verè caro est, & verè san-
guis. Et hæc accepta & hausta, faci-
unt ut Christus in nobis & nos in
Christo simus. Et Chrysostomus: Sing-
ulis fidelibus CHRISTVS per
hoc mysterium se coniungit, & admi-
randa mysteria nobis data sunt, ut
simus membra ex carne & ossibus
eius. Cum igitur exhibetur corpus &
sanguis Christi, adest Christus, & est
efficax in nobis. Hæc nostra confes-
sio satis testatur, nos retinere verã &
catholi-

catholicam sententiam traditam in
Euangelio, & antiquis patribus &c.

Et obseruet pius Lector, quòd lo-
cus Pauli 1. Corinth. 10. in publicis
scriptis & confessionibus, tertio iam
ita explicatur, panem cœnæ esse ta-
lem participationem corporis Chri-
sti, sicut inquit publica hæc confessio:
Fatemur in cœna Domini, cum pane
verè & realiter corpus Domini adese
& exhiberi sumentibus. Vnde igitur
quæso nunc prodit, ter tropica illa
glossa, Panem cœnæ esse hoc, quo fit
spiritualis communio cum absente
corpore Christi, certè non est ex for-
ma doctrinæ Ecclesiarum Augustanæ
confessionis, sicut ostendimus ex hi-
storijis anni 30. 38. & 41. sed ex Calui-
ni schola sumpta. Et hoc candidus
lector benè consideret.

Est autem hoc inprimis memora-
bile, quòd post 11. annos & repetita &
plenius declarata est illa antithesis,
quæ in prima editione Augustanæ
Confessionis extat: Improbamus igitur
tur

in
c.
o.
cis
m
a.
ris
io:
ne
es-
gi-
lla
fit
te
or-
na
ni-
ni-
us
ra-
&
is,
na
gi-
ur

tur eos qui non confitentur veram
præsentiam corporis & sanguinis Do-
mini. Et in altero scripto, quod Ratis-
ponæ communi nomine oblatum est,
antithesis illa adhuc clarius explica-
tur his verbis: Testati sumus nos im-
probare eos, qui negant adesse, & ve-
resumî verum corpus Christi.

Idem scriptum refert se ad Apolo-
giam tanq̃ pleniorẽ explicatio-
nem confessionis in hoc articulo.

Eadem igitur vox doctrinæ de cœ-
na Domini, sicut an. 30. in Ecclesijs
Augustanæ Confessionis sonuit af-
firmatiue & negatiue, repetita & con-
firmata est publico consensu An. 41.
in Colloquio Ratisbonensi.

Hæ declarationes ideò merentur
publicam autoritatem, quia editæ &
repetitæ sunt communi nomine, vna-
nimi semper consensu in publicis cer-
taminibus & confessionibus.

Postremò cum sub titulo & præ-
textu

textu formulæ concordiæ varia à
Cinglianis insidiosè spargerentur, &
eluderetur etiam illa significantissî-
ma phrasis, quod verè & substantiali-
ter adsit corpus Christi in cœna: Lu-
therus igitur vt ad omnem posterita-
tem, contra tales insidias & præstigi-
as, sententiam non priuatim suam, sed
publicam Ecclesiarum quæ doctri-
nam Augustanæ Confessions ample-
ctuntur, expresse & significantissimè
deklararet, edidit postremam Confes-
siunculam de cœna DOMINI. Et
inter cœtera tanquàm normam & re-
gulam, contra insidiosos Cinglianos
ponit hæc verba: Iudico omnes esse
vnius & eiusdem farinae, quicunq;
sunt, qui non sentiunt & credunt,
quòd panis DOMINI in cœna sit
verum & naturale ipsius corpus,
quod ore sumit & accipit tam impi-
us siue Iudas, quàm Petrus & omnes
sancti.

Animaduertit candidus Lector,
quatuor esse potissimum obseruan-
da in postrema hac Lutheri Confes-
sione.

siōne. 1. Formulam filiū Dei rectissimè
me v̄surpari, quando reliquæ phra-
ses veteratorie eluduntur, scilicet pa-
nem esse corpus Christi. 2. Ne insi-
diæ in vocabulo corporis struantur,
rectè addi declarationem, panem Do-
mini in cœna esse verum & natura-
le corpus Christi. 3. Non in genere
tantum de sumptione dicendum, sed
addendam hanc declarationem, iux-
ta verba institutionis: Quod ore, in
hac cœna accipitur, est verum & na-
turale corpus CHRISTI. 4. Do-
ctrinam de manducatione indigno-
rum pertinere ad Confessionem de
cœna Domini, præcipuè quando con-
tra Sacramentarios agendum est. In
eandem planè sententiam, & quidem
iisdem verbis, Lutherus Anno 45.
hoc est, anno ante mortem suam pro-
ximo, contra articulos Lonaniensiu-
um, doctrinam de cœna Domini repe-
tiuit. Et notandum est, qua vehemen-
tia spiritus repetat & confirmet anti-
thesin illam, quæ in confessione sim-
pliciter ita posita est: Et improbant
secus docentes. Hæc

Hæc enim sunt verba articulo 16.
In Eucharistia sacramento venerabili & adorabili, est & exhibetur & sumitur verè & re ipsa corpus & sanguis Christi, tam à dignis quàm indignis.

Et 28. Hæreticos serio censemus & alienos ab Ecclesia Dei esse, Cinglianos & omnes Sacramentarios, qui negant corpus & sanguinem Christi, ore carnali sumi in venerabili Eucharistia.

Hactenus non sanè expoliuimus, sed tantum quomodocunq; delineauimus seriem historiarum, de publicis certaminibus & confessionibus, inde vsq; ab eo tempore, quo post diuinitus restitutam lucem verbi Dei, agitari ceperunt certamina de substantia cœnæ Dominicæ.

Et potest inde rectissimè & nullo negotio constitui & certis membris comprehendi, quæ fuerit perpetua & constans sententiâ, & publica vox doctrinæ de cœna Domini viuentis Lutheri, in omnibus illis Ecclesijs, quæ

quæ Augustanam confessionem tan-
quàm symbolum agnouerunt.

Potest ex hac historica considera-
tione & hoc certò constitui, quid fue-
rit Cinglianismus, quæ sententia &
doctrina habita fuerit pro Cingliana
& Sacramentaria in omnibus nostris
Ecclesijs viuentē Luthero. Et deinde
accomodetur hypothesis affirmatiue
& negatiue, & dijudicatio nec diffici-
lis nec obscura erit.

Fundamenta ex scriptura & testi-
monia antiquitatis in alio libello ex-
plicauī. Nunc tantum quæstionem
illam, quæ insidiosè à Cinglianis con-
trouertitur, de vera & natia senten-
tia Augustanæ Confessionis in arti-
culo de cœna Domini, ex historica
obseruatione explicare volui. Et spe-
ro hanc historicam declarationem,
pijs & amantibus veritatem, nec in-
gratam nec inutilem fore.

Et vt postremò hoc addam, mag-
na impudentia est, nunc tandem in-
dubium & quæstionem vocare, quid
Ecclesiæ Augustanæ confessionis de
F cœna.

cœna Domini, contra Cinglianos, vi-
uente Luthero, senserint & docue-
rint, cum vel sola doctrina, & forma
Catecheseos quæ viuentē Luthero v-
surpata fuit, hoc abunde satis testetur
& conuincat. Interrogentur saltem
pueri & idiotæ, qui in doctrina Cate-
cheseos rectè & fideliter instituti sunt.
Lutherus enim in Catechismo iuueni-
tuti, ad vitandas omnes præstigias
Sacramentariorum, hanc luculentam
definitionem præscripsit: Sacramen-
tum Altaris est verum corpus & ve-
rus sanguis Iesu Christi, sub pane &
vino, nobis Christianis ad man-
ducandum & bibendum ab
ipso Christo insti-
tutum.

DE

**DE PROPOSITIO
NIBVS MINISTRORVM EC
clesiæ Bremensis, quæ in conuen
tu Brunsvigensi ordinibus Sa
xonix inferioris exhi
bitæ sunt.**

EX his, quæ hæctenus diximus om
nibus sanis, & candide iudicanti
bus luce meridiana clarius est, hanc
declarationem sententiæ Augustanæ
Confessionis de cœna Domini, esse
vnicam illam & perpetuam vocem,
quæ viuente Luthero vnanimi con
sensu in Ecclesijs nostris de cœna Do
mini constanter sonuit. Et iudico il
lam esse consentaneam verbis Chri
sti, & testimonijs Pauli, & congruunt
ad illam testimonia eruditæ & purio
ris antiquitatis.

Et de hac sententia, summus est
consensus, in hisce Ecclesijs Saxo
niæ, sicut propositiones, quibus
Theologi à statibus Saxonix infe
rioris, ad dijudicationem negocij Bre
menfis

mensis accersiti, in conuentu Brun-
svigensi subscripserunt, testantur.

Profiteor itaq; me illam sententiam
de cœna Domini amplecti, & dissen-
tire ab omnibus alijs opinionibus &
corruptelis, quæ cum hac sententia
pugnât, quæq; in scriptis Lutheri iam
dudû reiectæ & ex solidis sacræ scrip-
turæ fundamentis refutatae sunt.

Et in his tristissimis turbis & con-
tentionibus, postq; conscientia ver-
bo Dei confirmata est, hoc me valde
consolatur, quòd in hac nostra doctri-
na non sumus autores sententiæ no-
uæ, aut peregrini dogmatis, neq; inusi-
tatas phrasas fingimus, non serimus
prodigiosas disputationes, nec mo-
uemus certamina non necessaria: sed
natiuam sententiam Augustanæ con-
fessionis, de præsentia corporis Chri-
sti in cœna fideliter repetimus, & per-
spicue sine omni ambiguitate expli-
camus, & hanc sententiam cupimus
in Ecclesia conseruari, & ad posterio-
ritatem

tatem Deo bene iuuante propagari.
Et talis est etiam doctrina & Confessio Ecclesie Bremensis. Illam enim omnes Theologi, qui huic actioni interfuerunt, iudicarunt & in rebus ipsis, & in formulis loquendi consentire cum illa perpetua voce, quae uiuente Luthero de coena Domini in omnibus Ecclesijs Augustanae Confessione adiunctis, sonuit.

PROPOSITIONES AV-
tem Bremensium quae ordinibus
Saxoniae inferioris exhibitae
fuerunt, haec sunt.

I.

Docemus & firmiter credimus, panem in sacrosancta coena esse verum & essentiale corpus Christi iuxta uerba & institutionem eius.

II.

Credimus autem panem esse corpus Christi, non conuersione, nec per transubstantiationem.

F 3

Nec

III.

Nec vnione personali seu hypostatica, sed Sacramentali.

IIII.

Intelligimus autem sacramentalem vbi sub, in vel cum pane visibili inuisibiliter, non tantum gratia & virtus, cum reliquis beneficijs corpore CHRISTI acquisitis, nec tantum ius & societas, sed ipsum quoque essentialiale corpus, pro nobis traditum praesens adest in cœna, quæ hîc in terris, iuxta institutionem Christi peragitur.

V.

Non locali inclusione, sed modo nobis incomprehensibili.

VI.

Et illud corpus dicimus, non tantum accipi ore fidei à fidelibus, sed etiam sine fide ore carnali ab hominibus hypocritis & impijs.

Ad

VII.

Ad salutem verò, fideli corde & ore, sine corde fideli, ore tantum ad iudicium.

VIII.

Quod diximus de pane & corpore, Idem de vino & sanguine intelligendum est.

IX.

Eos, qui aliter sentiunt, pro hæreticis serio censemus.

Non institutam autem disputationem de singulis membris. Fundamenta enim huius veræ sententiæ, in repetitione sanæ doctrinæ de cœna Domini, mediocriter declaravi, & quomodo cum declaratione Augustanæ Confessionis consentiat, ex illis, quæ supra diximus, manifestum est. Sed de illis tantum dicam, quæ solent quidam in his propositionibus arrodere & exagitare.

FA

Clamie

Clamitant enim se non posse assen-
tiri affirmantibus, panem & vinum
huius cœnæ esse verum & substan-
tiale corpus & sanguinem Christi, &
fingunt esse nouam & in Ecclesijs in-
usitatam phrasin.

Et ego sane non delector monstro-
sis verborum paradoxis, & prodigio-
sis modis loquendi. Memini enim
Paulum præcipere, non tantum depo-
situm veræ sententiæ, sed & hypotipo-
sin sanorum verborum sollicite ser-
uandam esse, Probo igitur illam regu-
lam, quæ monet diligentiam dignam
esse, piè eruditis, propter concordiam
loqui cum Ecclesia. Scio autem & hoc
usitatum esse sophisma in Ecclesia,
Quando rebus ipsis insidiosè bellum
indicitur, quòd prætexuntur disputa-
tiones de modis loquendi, vt ita sim-
pliciores fascinentur, & altera pars
inuidia prægrauetur, quasi tantum de
verbis moueantur certamina non
necessaria, cum in rebus ipsis, nulla
sit dissensio. Fit enim hîc, quòd Poly-
buis

b^{ius} de bellis Romanorū dicit, quòd
aliud est prætexus aliud causa.

Tota igitur disputatione diligen-
ter considerata, non video tantum esse
se incommodi in illa propositione,
quantum prætexus iste fingit. Quòd
enim opponitur, cauendum & vitan-
dam esse opinionem transubstantia-
tionis, etiam in modis loquendi, re-
cte dicitur, neq; repugnamus: Sed
quid dicturi sunt, si ostenderimus ip-
sum filium Dei, hac propositione esse
vsum? Respondebunt sine dubio, ita
esse declarandam perspicue & sine
omni ambiguitate, vt vera sententia,
exploso transubstantiationis figmen-
to intelligi possit. Et hoc idem cum
recte & commode fiat in propositio-
nibus Bremensium, planè eodem mo-
do sicut in formula concordia, & in
Smalcaldicis articulis manifestum
est, sine vera & graui causa, tam incle-
menter & odiose exagitari illam pro-
positionem, sed aliud sub hoc prætex-
tu quæri.

Diserte autem hoc addo, magnam

F S

&

& manifestam esse differentiam, in-
ter has duas propositiones, Panis cœ-
næ substantialiter est corpus Chri-
sti, Et panis cœnæ est substantiale
corpus CHRISTI. Priorem enim
propositionem, nec vsurpamus, nec
defendimus, quia non est vsitata, in
forma doctrinæ Augustanæ Confes-
sionis, & inuoluit opinionem tran-
substantiationis. Sed de illa propo-
sitione Lutheri, disputatio est, Panis
Domini in cœna est verum & sub-
stantiale corpus Christi.

Video autem vera & graui autori-
tate propositionem illam receptam
esse. Absq; omni enim dubitatione
certissimum est, illam formulam,
qua filius DEI in institutione hu-
ius mysterij vsus est, esse omnium
optimam & commodissimam, ita vt
sit & esse debeat forma sanorum vera-
borum, Et illam sine insigni contu-
melia in filium Dei, non posse exagi-
tari, multo minus ex Ecclesia explo-
di.

Has

Hæc autem sunt verba filij DEI
In institutione, Accepit panem, gra-
tias egit & dedit Discipulis, dicens:
Hoc est corpus meum, quod pro
vobis traditur. Extra omnem au-
tem controuersiam, etiam Caluini
confessione, particula (hoc) demon-
strat panem, cui in cœna Dominica
benedicitur, qui frangitur, sumitur &
manducatur, sicut alibi hoc probaui-
mus.

Propositio igitur in verbis insti-
tutionis, hoc modo & his verbis con-
stituta est, Panis cœnæ Dominicæ
est corpus CHRISTI, quod pro
nobis traditum est, Vinum huius cœ-
næ est sanguis CHRISTI, qui pro
nobis effusus est, in remissionem pec-
catorum. Quid autem dicemus?
Corpus quod pro nobis traditum est,
non ne est naturale substantiale vel
essentiale corpus CHRISTI?
Num alius aliquis sanguis in re-
missionem peccatorum effusus est,
quàm naturalis substantialis & essen-
tialis

etialis sanguis Christi? aut ostendatur
quæ sit differentia inter substantiale
corpus Christi, & inter corpus Chri-
sti, quod pro nobis traditum est.

Quocumq; ergo se vertant censores
isti, non possunt effugere. Manife-
stum enim est, hanc esse propositio-
nem ipsius filij Dei: Panis huius cœ-
næ est verum & substantiale corpus
Christi. Illud enim pro nobis tradi-
tum est. Et certum est verba filij Dei,
nullo modo esse mutanda, corrigenda
aut explodenda. Si itaq; etiam nul-
la alia subesset causa, propter reueren-
tiam filij Dei, & verbi eius, esset reti-
nenda illa propositio. Nullo modo
enim ferendum est, vt dicatur, reli-
quas formulas quæ ab hominibus de-
clarationis gratia additæ sunt, melio-
res & commodiores esse, & ita usur-
pandas, vt propter illas exagitetur &
abijciatur hæc formula, qua ipse filius
Dei usus est.

Quòd si argutulis istis videtur, non
satis commode dictum esse, panem
cœnæ

cœne Dominicæ esse illud corpus
Christi quod pro nobis traditum est,
expostulent cum filio Dei, & ipsius
linguam corrigant. Nobis, qui ratio-
nem in obsequium fidei captiuamus,
satis est, scire quod sicut res ipsa cœ-
næ Dominicæ est mysterium supra &
extra ordinem naturæ, ita etiam præ-
dicationem esse inusitatam, quando
duæ disparatæ res, contra naturæ or-
dinem, spirituali & cœlesti modo,
omnipotentis & veraci verbo DEI
coniunguntur, ut cum dicitur: Colum-
ba est spiritus sanctus, sicut plenius
hoc explicauimus, in repetitione hu-
ius doctrinæ.

Et hæc satis grauis autoritas est,
qua recepta est, retinetur & defendi-
tur illa propositio Lutheri: Panis cœ-
næ Dominicæ est verum & naturale
corpus Christi.

Accedunt præterea etiam testimo-
nia veræ & purioris antiquitatis, illa
enim religiose retinuit & seruauit
linguam & ipsa verba filij Dei.

IGNATIUS citante Theodo-
reto,

reto, hanc propositionem contra hæreticos sui temporis defendit, Eucharistiam esse carnem saluatoris nostri Iesu CHRISTI, quæ pro peccatis nostris passa est, quam pater sua beatitudine resuscitauit &c.

Num autem dicet aliquis, hanc non esse veram, naturalem, substantialem & essentialem carnem Christi?

IUSTINVS dicit, in cœna Dominica non esse communem panem, aut communem potum, sed cibum illum qui per precationem verbi, quod à CHRISTO traditum est, sacra- tur, esse incarnati Iesu carnem & sanguinem &c. Vñ sitata igitur tunc fuit hæc propositio, panem & vinum benedictionis in cœna Dominica, esse carnem & sanguinem CHRISTI.

IRENAEVS aliquoties ita loquitur, panem in quo gratiæ actæ sunt esse corpus Domini. Calicem qui est Creatura, sanguinem suum
testa

testatus est, & panem qui est Crea-
tura suum corpus confirmavit.

Fuit igitur hæc propositio vsitata,
in Ecclesia Græca tempore Ignatii,
in Ecclesia Romana tempore Iustina-
ni, in Ecclesijs Galliaë tempore Ire-
næi, scilicet, Panis cœnæ est corpus
CHRISTI, quod pro peccatis no-
stris passum & resuscitatum est. Non
autem mysticum, metaphoricum aut
tropicum, Ergo verum & substantia-
le.

HIERONYMVS ad Hebridam.
Nos autem audiamus, panem quem
fregit Dominus, deditq; Discipulis
suis esse corpus Domini saluatoris,
ipso dicente ad eos: Accipite & come-
dite, Hoc est corpus meum.

CHRYSOSTOMVS inquit,
Quod est in calice, id est quod è latere
Christi fluxit. Item sanguis in cra-
tere ex immaculato latere haustus
est.

AVGVSTINVS de Trin: lib. 3.
capite quarto. Potuit Paulus signifi-
cando prædicare Christum, aliter per
linea

linguam suam, aliter per epistolam,
aliter per sacramentum corporis &
sanguinis eius. Ne linguam quippe
eius, nec significantes sonos lin-
guæ editos, nec signa literarum con-
scripta, corpus Christi & sanguinem
dicimus, sed illud tantum, quod ex
fructibus terræ acceptum, & prece
mystica consecratum, rite sumimus.

Habet igitur hæc propositio auto-
ritatem. Primò filij Dei. Deinde etiam
purioris antiquitatis. Tertio, in Ec-
clesijs Augustanæ Confessioni adiun-
ctis, semper vsurpata fuit hæc propo-
sitis. Falsum enim est, quod quidam
dicunt, esse phrasin, quæ hactenus in
Ecclesijs nostris inusitata fuit.

Ostendemus igitur, Ecclesias con-
fessionis Augustanæ adiunctas, viuen-
te Luthero in doctrina de cœna Do-
mini, vsurpasse, non tantum hos mo-
dos loquendi (cum, sub, vel in pane
&c.) quos & nos probamus & vsur-
pamus. Verum etiam hanc proposi-
tionem,

tionem fuisse vsitatam, Panis huius
cœnæ est corpus Domini. Et quia
Cingliani intelligebant corpus my-
sticum, metaphoricum, symbolicum,
Sacramentale &c. nostræ Ecclesiæ,
vt fidem suam, contra Sacramentarios
sine ambiguitate explicarent, addi-
derunt has declarationes, verum na-
turale, essentiale seu substantiale cor-
pus Christi. Idq; fecerunt, exemplo
ipsius filij Dei, qui de pane in vsu cœ-
næ, non tantum dicit, Hoc est corpus
meum, sed addit declarationem, quod
pro vobis traditur.

Nam sueuicum Syngramma quod
Anno 25. publico multarum Eccle-
siarum nomine Oecolampadio oppo-
situm est, aliquoties ita loquitur, pa-
nis cœnæ Dominicæ non tantum est
figura: sed ipsum corporale corpus
Christi.

Et memorabilis est historia, cum in
Colloquio Marpurgensi Lutherus su-
am sententiam ita proposuisset. *Die-
weil der Text meines Herren da
stehet / so kan ich warlich nicht
G fürüberz*

furüber / Sondern mus bekennen
vnd gleuben / das der Leib Chri-
sti da sey. Mox Cinglius exiliens ex-
clamauit, Ergo Christi corpus localiter
ponitis in cœna (Ibi) enim est ad-
uerbium loci.

Lutherus respondit: Quia video
vos captiose velle agere, ideò se po-
sitis aduerbijs & præpositionibus,
posthac simpliciter retinebo verba
filij Dei, qui de pane cœnæ inquit,
Hoc est corpus meum, quod pro vo-
bis traditur &c.

Hæc ideò notanda sunt, quidam
enim tantum illas formulas probant,
quæ adiunctas habent præpositiones
& aduerbia, quas & nos probamus &
vsurpamus. Hanc verò proposi-
tionem planè reijciunt, panis cœnæ Do-
minicæ est corpus Christi, vinum est
sanguis Christi.

Anno
1536
Anno deinde 36. in formula con-
cordiæ, hæc verba posita sunt, conce-
dunt Sacramentali vnione, panem
esse corpus Christi. Et ne intelligatur
de corpore sacramentali aut symbolico,
lico,

lico, unio sacramentalis ibidem ita explicatur, quod cum pane & vino verè & substantialiter adsint exhibeantur & sumantur corpus & sanguis Christi.

Et Bucerus in retractationibus suis, hanc phrasin ita declarat, quod semper nominat realem & substantialem præsentiam corporis & sanguinis Domini in cœna.

Quia vero à quibusdam hæc formula subdole eludebatur. An. 37. Lutherus articulum de cœna Domini, communi Ecclesiarum nomine his verbis scripsit, de sacramento Altaris sentimus panem & vinum in cœna esse verum corpus & sanguinem Christi.

Manifestum igitur est hanc propositionem, non esse priuatam Lutheri, sed esse communem Ecclesiarum Augustanæ confessionis. Idcirco in publica Confessione neque fingi potest, esse ullam differentiam, inter verum corpus Christi, & essentiale.

Et Anno 38. in repetita editione visitationis Saxonica, sententia Pauli,

li, i. Corinth. 10. his verbis explican-
da præscribitur pastoribus, Panis
quem frangimus est communicatum
corpus Christi &c. Non autem aliud
est, quam verum & substantiale. Ne
vero aliquod vestigium tropi, non
præmunitum insidiosis Cinglianis re-
linceretur, Lutherus in postrema
sua de cœna DOMINI confessione
propositionem ita ponit, Panem Do-
mini in cœna esse verum & natura-
le ipsius corpus &c.

Hactenus monstrauius hanc pro-
positionem non esse peregrinam no-
uam & inusitatam phrasin. Manife-
stum enim est, illam esse vsurpatam,
1. ab ipso filio Dei in verbis institutio-
nis. Et hæc extra omnem controuer-
siam est vera hypotyposis sanorū ver-
borum, 2. religiose retenta & conser-
uata est ab erudita & puriori antiqui-
tate, 3. In certaminibus contra Sacra-
mentarios in Ecclesijs Augustanæ
Confessionis, viuentis Lutheri, sem-
per ita fuit vsurpata, vt insidiosis co-
thurnis Cinglianorum opponeretur,
tanq̃

tanq̃ optima formula ab ipso filio
Dei præscripta. In qua vera senten-
tia, non tam facile vt in reliquis, pos-
set eludi.

Et hæc testimonia debeant, can-
dide iudicantibus satisfacere, plenior
autem & illustrior erit probatio, si
adhibeatur illa obseruatio, quæ neces-
sarium vsum habet in omnibus dis-
putationibus de modis loquendi in
Ecclesia. Primo propter quam cau-
sam Cingliani tam infensi sint huic
præsertim, quam nunc tractamus pro-
positioni. Deinde quomodo Eccle-
siæ viuente Luthero hanc propositio-
nem, tunc potissimum vsurparint,
quando viderunt Sacramentarios,
reliquos modos loquendi insidiosè
deflectere & detorquere ad suam sen-
tentiam.

Prætenditur quidem periculum
transubstantiationis, sed quia ne tunc
quidem contenti sunt, quando addi-
tur vera & sufficiens declaratio, Al-
lia igitur causa est, & illam Harden-
bergius sub titulo auditorum suo-
rum

rum personatus, articulo octauo, factis expresse ostendit, quare propositionem istam tam acerbè flagellet. Opponit enim hæc duo, Panis cœnæ Dominicæ est corpus CHRISTI substantiale, & panis cœnæ est corpus Christi in Sacramento.

Hoc autem ita intelligit & interpretatur, Quia naturale & substantiale corpus CHRISTI, iuxta Alberti proscriptionem, vno loco in cœlo ita conclusum est, vt simul & eodem tempore, hîc inferius in terra, vbi iuxta institutionem cœnæ Dominica celebratur, adesse non possit, licet claris verbis, de eo, quod in cœnâ Domini adest, affirmet, Hoc est corpus meum. Propter hanc causam reijcit illam propositionem, Panis in usu cœnæ est substantiale corpus Christi, & substituit aliam, Panis cœnæ est corpus Christi in sacramento. Et hanc ita interpretatur, quod sola fides cogitatione in cœlum ascendat, & ibi apprehendat naturale & substantiale corpus Christi, quod in
vno

vno loco cœli conclusum in terra, vbi
cœna celebratur non adfit. Quod si
quæras, quid igitur est quòd in cœna
adest, quod manu ministri exhibe-
tur, quod ore accipitur. Negare non
potest, quòd si corpus Christi, verba
enim sunt manifestima. Dicit igitur
non est naturale vel substantiale cor-
pus C H R I S T I, illud enim in cœ-
lo tantum in vno loco est, sed est cor-
pus C H R I S T I in sacramento.
Hoc alius quidam in suo diallactico
clarius dicit, Panis huius cœnæ est
corpus C H R I S T I non substan-
tiale, sed sacramentale. Substantiale
enim in cœna hîc in terra, realiter
non potest adesse.

Agnoscis ne tandem candide le-
ctor, quare Cingliani tam infensi sint
huic propositioni, de corpore Chri-
sti substantiali. Volunt enim panem
cœnæ Dominicæ definiri, non sub-
stantia præsentis corporis Christi,
sed tantum vel significatione, vel effi-
cacia absentis.

Emergunt & alibi oratores noui,
qui magno supercilio hanc propo-
sitionem explodunt. Rogati vero, quo
sensu filius Dei, panem appellet cor-
pus suum, quod pro nobis traditum
est, vinum sanguinem suum, qui in
remissionem peccatorum effusus est.
Respondēt hoc fieri non propter præ-
sentiam substantiæ corporis Domini
in cœna, sed propter euidentiã &
certitudinem participationis, vt eo
firmius credamus, nos sumpto pane
& vino, spiritualiter participes fieri
substantialis corporis & sanguinis
Christi, quæ tantum in cœlo sunt &
manent.

Et quidem id, quod Apologia pro-
bat & confirmat, isti diserte reiiciunt
& damnant. Corporalem scilicet præ-
sentiam Christi in cœna, quod apo-
logia intelligit, non quo ad modum
corporalem & naturalem, sed quo ad
ipsam corporis & sanguinis Christi
veram essentiam attinet.

Non igitur Papistica transubstan-
tiatio est, propter quam pretendunt
se

se abhorrere à propositione de substantiali corpore Christi. Sciunt enim transubstantiationem à nobis disertè improbari & reijci, sed veram & realem præsentiam ipsius substantiæ corporis & sanguinis Christi in cœna, quæ in diuersis locis hîc inferius in terra iuxta institutionem celebratur, nolunt admittere, ideò tanta contentione pugnant, ne panis cœnæ Dominicæ definiatur substantiali corpore Christi.

Et vetus est hæc cantilena, contra substantiale corpus Christi in cœna, decantata olim à Cinglio & Oecolampadio. Cinglius enim in Expositione fidei ad Christianum regem, aliquoties in Lutheranis hoc reprehendit, quòd dicant symbolis istis pane & vino in cœna, afferri naturale corpus Christi, vt præsens manducetur. Ibidem inquit restitimus aduersarijs, cum presens Christi naturale substantialeq; corpus edi asseruerunt. Antithesin verò Cinglius ibidem ita ponit, Hoc est corpus meum, non sub
G s stantiale

stantiale aut naturale, sed sacramen-
tale siue mysticum, id est eius quod
verè adsumpsi, mortiq; obiecti, symbo-
lum sacramentale & vicarium. Hac
ille, Idem in Confessione ad Caro-
lum, Credo quòd in sacra cœna ve-
rum Christi corpus adsit fidei contem-
platione, sed quòd Christi corpus per
essentiam aut realiter, hoc est corpus
ipsum naturale, in cœna aut adsit, aut
ore accipiatur, id verò non tantum
negamus: sed errorem esse, qui verbo
Dei aduersetur constanter asseuera-
mus. Oecolampadius in antisyngram-
mate aliquoties exagitat substantia-
lem (vt ipse vocat) prædicationem,
quòd Sueuicum syngramma dicat, pa-
nem cœnæ esse non tantum figuram,
sed ipsum corporale corpus Christi.

Ibidem ad Billicanum inquit, Quia
non est alia manducatio, quam spiri-
tualis, non decebat definire panem
esse substantiale corpus &c.

Non difficile esset hasce Cinglij &
Oecolampadij sententias, & ipsa eti-
am verba

am verba conferre & accomodare,
ad disputationes nostri temporis con-
tra hanc propositionem, quòd panis
cœnæ sit substantiale corpus Christi.
Sed hanc considerationem, quia ma-
nifesta est, candido Lectori permit-
to, quid scilicet illi quærant & agant,
qui & sententias & verba ex Cin-
glio & Oecolampadio mutuuntur,
& opponunt contra illam formam
doctrinæ de cœna Domini, quæ vi-
uente Luthero, publice in Ecclesijs
Augustanæ Confessionis sonuit.

Postremò obseruandum est & hoc,
quo concilio Lutherus, post multas
& varias cum Cinglianis concerta-
tiones, tandem eò deuenit, vt existi-
marit, nullam aliam esse commodio-
rem formulam, de substantia cœnæ
Dominicæ loquendi, quam hanc, pa-
nis Domini in cœna, est verum &
naturale corpus Christi, tùm quia est
formula ipsius filij DEI, tùm quia
non potest tam facile à Sacramen-
tarijs eludi. Cum enim variæ oc-
cultationes, prestigiæ & insidiæ quæ-
rerentur

verentur à Cinglianis, Lutherus in Epistola ad Francofortenses, propositionem ita voluit formari, vt diserte explicetur, quid illud sit quòd in usu cœnæ manu ministri exhibetur & ore accipitur. Hæc verò quæstio manifeste reddit, illam, de qua nunc agimus propositionem.

Et vnormatiæ Anno 57. Philippus in frequenti nostrorum confesso narravit, Schmalcaldiæ deliberatū fuisse, qua forma constituendus esset articulus de cœna Domini, & cum quidam suaderent, repetendam esse formulam Confessionis & apologiæ, Lutherum habuisse suas quasdam causas, quod ita scripserit. De sacramento Altaris sentimus, panem & vinum in cœna esse verum corpus & sanguinem Christi &c.

Quas autē Lutherus tunc habuerit causas inde potest colligi, qd Vuolfgangus Musculus qui Anno 36. formulæ concordiæ subscripserat, statim rediens domum collegis suis Cinglianis, talem tradidit declarationem, quod

quod possent omnia verba illius formulae, intelligere, deflectere, & detorque ad suam sententiam. Idem etiam alibi factitatum est. Cum igitur videret Lutherus, omnes reliquos modos loquendi subdole eludi, decurrit ad formulam ipsius filij Dei, quae omnium est tutissima, & non potest tam facile in peregrinum sensum transformari. Mox autem subiungit in probationem figmenti de transubstantiatione. Et hoc modo hac declaratione probata & recepta fuit, in publica confessione, formula illa in Smalcaldicis articulis, ab omnibus Theologis.

Et quia animaduvertebat Lutherus, etiam illam formulam, de vero corpore Christi, eludi, vt verba institutionis (hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur) quam significantissime redderet, & contra insidias Cinglianorum praemuniret. In postrema confessione hanc ponit propositionem, Panis Domini in coena est ipsum naturale corpus Christi.

Ita

Ita Sueuicum syngramma cum videret Oecolampadium varijs modis eludere hæc verba, Panis est corpus CHRISTI. Opposuit hanc propositionem, panis in vsu cœnæ non est tantum figura, sed ipsum corporale corpus Christi. Et illa ita declarata fuit vt transubstantiatio & reliqua Papistica diserte reijcerentur.

Hæc bono studio volui dicere de illa propositione, panis Domini in vsu cœnæ est verum & substantiale corpus CHRISTI, quam ex rationibus, quas recitavi, iudico sine causa tam acerbe flagellari.

Et iudicium permitto veræ Ecclesiæ. Omnino enim de re ipsa prius constituendum est, cum filius DEI de pane in vsu cœnæ affirmet, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, quæ verba, nec possunt nec debent aliter, quam de substantia corporis Christi intelligi.

An in cœna, quæ hic inferius in terra, iuxta institutionem Christi celebratur, vere adsit cum pane, ipsa substantia

substantia corporis Christi. An verò
illa tantum in vno loco cœli sit.

Deinde re ipsa & vera sententia
iuxta verba Christi constituta, facile
poterit de modis loquendi conueni-
ri. In quibus tamen hæc tria obser-
uanda sunt.

1. Vt hypotyposis sanorum verbo-
rum seruetur, quæ sumenda est ex
scriptura & ex vsu veræ & purioris
Ecclesiæ.

2. Vt vera sententia sine ambigui-
tate planè & perspicuè declaretur.

3. Vt formulæ tales sint, quæ rectè
possint opponi contra omnes aduer-
sari orum vel manifestas corruptelas,
vel occultas insidias & prestigias.

Porro illud etiam virulentis calum-
nijs exagitur, quòd confitemur, cor-
pus Christi in vsu cœnæ, sumi & acci-
pi, non tantum ore fidei, verum eti-
am ore corporis.

Sunt enim qui mallent sub am-
bigua generalitate, hoc cothurno
vti,

vti, in vsu cœnæ sumpto pane & vi-
no, sumi corpus & sanguinem Chri-
sti. Nam sub illa generalitate, Cinglia-
ni facile possunt suam opinionem de
spirituali sumptione absentis corpo-
ris occultare, sicut Petrus martyr in-
quit: Si quis per præsentiam intelli-
gat fidei perceptionem, qua ipsi as-
cendimus in cœlum, & Christum in
sua maiestate & gloria mente & spi-
ritu amplectimur, cum illo facile con-
sentiam.

Sed filius Dei manifeste affirmat,
quòd in hac cœna præsens adest,
quòd manu ministri exhibetur, quòd
ore accipitur, Hoc esse suum corpus
quòd pro nobis traditum est.

Et ieiuna est cauillatio, qua quidam
verba Christi ludificant, Homini non
corpori dictum esse in cœna, Acci-
pite. Ideò si sumptio fiat, ab homine,
mente & spiritu, satisfieri institutioni
Christi. Quæstio enim est, quando fi-
lius Dei in cœna inquit, Accipite,
an velit vt auribus vel mente & cogi-
tatione tantum, id quod in cœna Do-
minica

minica adest percipiamus, sicut Luc:
8. Verbum Dei accipitur. Sed Chri-
stus ipse addit declarationem, Acci-
pите & manducate. Et manducatio-
nem non intelligit tropicam, aliàs pos-
set cœna Domini ita celebrari, vt
non necesse esset, sumentes ore cor-
poris aliquid accipere, quod extra
omnem controuersiam falsum est. Ma-
nifestum igitur est, Christum cœnam
ita instituisse, quod necesse sit ibi fie-
ri aliquam sumptionem ore corporis,
Et hoc ne ab aduersarijs quidem ne-
gari potest: Sed dicunt elementa pa-
nis & vini, ore corporis accipi, non
autem corpus & sanguinem Christi.
Nos verò non quid homines dicant,
sed quid filius Dei affirmet, audia-
mus & credamus. Ita autem inquit,
Accipite & manducate, hoc est cor-
pus meum, quod pro vobis traditur.
Verba sunt manifesta. Illud enim
quod accipimus & manducamus, id
est, quod ore corporis in cœna sumi-
mus, Christus affirmat esse suum cor-
pus, quod pro nobis traditum est.

H

Et

Et nouum est hoc figmentum, vn̄
uersæ vetustati ignotum, Homini in
teriori & spiritali tantum, non cor
pori dictum esse, Accipite manduca
te, hoc est corpus meum.

Irenæus enim diserte affirmat, cor
pora nostra percipere Eucharistiam.

Et intelligit Eucharistiam, non ele
menta tantum panis & vini, sed Eu
charistiã quam corpora nostra perci
piunt, dicit constare duabus rebus,
terrena & cœlesti. Addit autem val
de illustrem antithesin, & hæc sunt
eius verba, Non de spiritali & inui
sibili homine, dicens hæc, Spiritus
enim neq; ossa, neq; carnes habet, sed
de ea dispositione, quæ ex carnibus
& neruis & ossibus consistit, quæ de
calice, qui est sanguis eius nutritur, &
de pane, qui est corpus eius, augetur.

Vide candide lector Irenæum scrip
torem antiquissimum, quasi ex pro
fesso refutare hanc sententiam. Ho
mini scilicet interiori, non corpori
dictum esse in cœna, Accipite, man
ducate, Hoc est corpus meum.

Tertul

Tertullianus inquit, Caro corpore
& sanguine Christi vescitur vt & ani-
ma de Deo saginetur.

Cyprianus in sermone de lapsis, qui
Idolis imolarant. Sordidis & infectis
nidore manibus accedunt, exhalanti-
bus etiamnum scelus suum fauci-
bus, & contagia funesta redolenti-
bus Domini corpus inuadunt. Item,
Iraescitur sacrilegus, quod non statim
Domini corpus inquinatis manibus
accipiat aut ore polluto Domini san-
guinem bibat.

Ambrosius ad Theodosium inquit,
Quomodo huiusmodi manibus sus-
cipies sacrosanctum Domini corpus,
quomodo ori admouebis preciosum
sanguinem?

Augustinus Epistola 118. Placuit spi-
ritui sancto, vt in honorem tanti sa-
cramenti, in os Christiani prius Do-
minicum corpus intraret, q̄ cæteri cibi.

Idem contra aduersari: legis lib. 2.
ca. 9. inquit, Corpus & sanguis Christi
in cœna, fidei corde & ore accipitur.

Chryosto: in 13. cap. poster. ad Co-
rinthios,

rinthios, disputans de osculo sancto,
Per has inquit ianuas & portas, in-
gressus est, & quotidie ingreditur ad
nos Christus, quando communica-
mus. Etenim non vulgarem honorem
consecutum est os nostrum, accipiens
corpus Dominicum, Inde est osculum
sanctum.

Cyrillus & alij etiam vetustiores,
dulcissima hinc sumunt argumenta
futuræ glorificationis nostrorum cor-
porum. Quia enim naturalis vitæ,
(hoc est filij Dei) corpus, coniungi-
tur corruptibili naturæ nostri corpo-
ris, non tantum spiritualiter recta fi-
de, & sincera charitate, sed corporali-
ter quoque communicatione carnis
Christi, & participatione naturali.
Hæc enim sunt Cyrilli verba: Ergo
corruptibile nostrum corpus, non in
perpetuum subiectum erit morti, &
alijs infinitis calamitatibus, sed refor-
mabitur, vt sit conforme corpori cla-
ritatis, ph. 3.

Hæc suauissima argumenta vetu-
statis planè euertuntur, si hoc admit-
tatur.

tatur. Tantum ad hominem inter-
num & non ad corpus pertinere illa
verba cœnæ, Accipite, manducate,
hoc est corpus meum, quod pro vobis
traditur.

Est igitur doctrina ipsius filij Dei,
& habet testimonia veræ & purioris
antiquitatis, corpus & sanguinem
Christi in vñu cœnæ, accipi non tan-
tum ore fidei, sed & ore corporis. Lu-
therum verò in hac controuersia sem-
per hoc modo locutum esse, adeo est
manifestum & notorium, vt superua-
caneum sit testimonia annotare.

Calumnia autem est (ne quid di-
cam durius) quòd attexitur, quasi do-
ceamus, corpus Christi in cœna ore
corporis accipi carnaliter, vt fiat Ca-
pernaïtica laniena carnis Christi, den-
tibus cominuatur, vt fiat esca ventris
&c. Reuerenter enim & religiose de
his mysterijs didicimus loqui. Et in
alio libello ostendi ex verbo DEI,
discrimen de triplici manducatione,
physica, sacramentali & spiritali,
H ; quæ

quæ declaratio multis bonis & do-
ctis viris probatur.

Huc pertinet etiam doctrina de
manducatione indignorum, quam
Caluinista, contumeliose vocant pro-
stitutionem corporis Christi.

Tergiuersatores verò illam planè
sepultam esse volunt. Vident enim
manifeste inde sequi sumptionem
corporis Christi, quæ fit ore corpo-
ris, nam viuifica fide indigne mandu-
cantes non accipiunt corpus Domi-
ni, alias enim non ad iudicium, sed ad
vitam acciperent.

Et de fundamentis ex verbo Dei,
alibi diximus. Nunc hoc tantum bre-
uissime addam, nos etiam in hac par-
te, nihil noui in Ecclesiam inuehere,
sed antiqua tantum retinere, repete-
re & defendere. Et antea ostendimus
hanc vocem doctrinæ in nostris Ec-
clesijs, viuente Luthero, semper hoc
modo sonuisse. Extant vero etiam
manifesta antiquitatis testimonia.

Cyprianus in sermone de lapsis,
Cum

cum clamat scriptura, Quicumq; ede-
rit hunc panem & biberit calicem Do-
mini indigne, reus erit corporis &
sanguinis Domini. Spretis his omnia-
bus atq; contemptis, vis infertur cor-
pori & sanguini eius. Ibidem, Quod
non statim Domini corpus, inquina-
tis manibus accipiat, aut ore polluta-
to, DOMINI sanguinem bibat, sa-
cerdotibus sacrilegus irascitur. Et plu-
ra ibidem.

Basiliius de Baptismo, Grauius &
terribilius est, in immundicia animæ
existentem, audere attingere corpus
Christi, quam arietis vel tauri sacri-
ficium. Ibidem, Si is qui propter
esum fratrem contristauit recessit à
dilectione, quid dicemus de eo qui
otiose & absq; fructu, ausus fuerit e-
dere corpus & bibere sanguinem Do-
mini nostri Iesu Christi?

Ambrosius in ii. cap. prioris ad Co-
rinthios, vbi ex professo tractat lo-
cum, de manducatione indignorum
inquit, Vt verum probaret, quia exa-
men futurum est accipientium corpus

H 4

Domini,

Domini, iam hinc imaginem iudicij ostendit, in eos, qui inconsiderate corpus Domini acceperant, dum infirmitatibus corripiebantur, vt in his cæteri discerent, non inultum scientes, corpus Domini negligenter accipere.

Chrysostronus Hom. 59. Quæ venia nobis dabitur, imo verò quæ supplicia non pendemus, quando linguam nostram, qua Dominicam degustauimus carnem, diaboli sponte linguam efficiemus.

Augustinus in sermone de verbis Domini. Non ergo quocunq; modo, quisq; manducauerit carnem Christi & biberit sanguinem eius, manet in Christo, & Christus in eo. Iudas enim & multi, qui vel corde ficto, carnem illam manducant, & sanguinem bibunt, vel cum manducauerunt & biberunt, apostatæ fiunt, non manent in Christo & Christus in eis.

Alias Augustini sententias in repetitione annotauimus.

Habemus itaq; etiam in hac doctrina

ctrina de manducatione indignorum
fundamenta verbi Dei, & testimonia
antiquitatis, cum quibus consentit
forma doctrinae, quae in publicis con-
fessionibus viuentis Lutheri in Ec-
clesijs sonuit.

Sed non inuiti iam disputationem
de singulis partibus huius doctrinae,
hoc vnum tantum argumentum, mihi
nunc propositum fuit, vt inuestiga-
rem & ostenderem ex certis nostrorū
temporum historijs, ex publicis actio-
nibus & Confessionibus, quae fuerit
sententia, & quae forma doctrinae, quae
viuentis Lutheri de caena Domini, in
Ecclesijs Augustanae Confessione ad-
iunctis, constanter sonuit, & vnani-
mi consensu publice tradita fuit.

Monstravi etiam antithesin, quae o-
pinio in forma doctrinae nostrarum
Ecclesiarum, semper iudicata fuerit
Cingliana, Sacramentaria, & à Con-
fessione Augustana aliena, Et ad
hanc normam exegi & accomodavi
propositiones Hardenbergij.

Tractavi autem illud argumentum,

H 5.

hoc

hoc consilio, vt illi qui corpus & formam doctrinæ, quæ viuente Luthero in Ecclesijs Augustanæ Confessionis, recepta & probata fuit, amant & retinere cupiunt, habeant in hac controuersia de cœna Domini, certam normam, quam tuto sequi possint, & ex qua simpliciter possint diiudicare, quæ doctrina sit genuina & vera, quæ sit peregrina & supposititia. Et vt prætextus illis qui adulterinas suas opiniones, sub titulo Augustanæ confessionis velant, detrahatur.

Fateor enim me & amplecti & amare, illam formam doctrinæ quæ viuente Luthero, in Ecclesijs Augustanæ Confessionis, recepta & probata fuit. Addo & hoc, me serio dissentire ab omnibus, qui ab hac forma doctrinæ discedunt, & nouas opiniones gignunt. Et quia scio Saxonicas Ecclesias, nihil aliud optare, quærere & agere, quam vt consensus ille in doctrina retineatur & defendatur. Gaudeo itaq; & profiteor, me esse ciuem & membrum harum Ecclesiarum,

rum, & ab illarum Confessione, Deo
bene iuuante, me non seiungam. Iu-
dico enim hunc esse consensum Pro-
pheticae & Apostolicae scripturae. Et
oro Deum aeternum patrem Domini
nostri Iesu Christi, vt sublatis corrup-
telis & sanatis dissidijs, Ecclesijs re-
stituatur, veram piam & salutarem, pa-
cem & concordiam, mentes docenti-
um & discipulorum, spiritu suo sancto
gubernet, vt formam doctrinae, quae
diuinitus ministerio Lutheri ex scrip-
tis Propheticae & Apostolicae est Ec-
clesijs restituta, retineant, contra om-
nes corruptelas defendant, & ad
posteritatem, Deo bene iuuante
te, incorruptam propagare
studeant, Amen.

PIO

PIO LECTORI S.

Posteaquam à consiliarijs principum, & statuum inferioris Saxoniae, in proximo Conuentu Brunsvicensi postulatum est, vt D. Albertus Hardenbergius suam censuram, de propositionibus Bremensium, luculenter & paucis verbis conceptam exhiberet, hanc obtulit sequentem. Eam vt rectius intelligas & facilius deprehendas hominis incogitantiam, Ideò subieci propositiones meas.

Volui autem præmittere nostram quoq; declarationē de prioribus propositionibus D. Alberti, quibus summariam suam doctrinam complexus est, vt non habeat, quòd desideret pius lector. Christus Ecclesiam suam tueatur, Amen.

Ioachimus Morlin
D.

SENTENTIA
CONCIONATORVM
BREMENSIVM DE PRIORIEVS
propositionibus D. Alberti Har-
denbergij, quibus Summariam
suam doctrinam de vbiq̄-
tate & cœna Domini
complexus
est.

De vbiq̄tate.

I.

Nihil cum illo contendimus, tan-
tum hæc duo monemus, ex ipsius pro-
positione tertia: Quia fatetur cœle-
stem illam glorificati corporis Chris-
ti, & futuræ vitæ conditionem, in nul-
lius cor ascendisse.

II.

Ergo futilitates sunt, quæcunq̄ in
hac materia, vel ex physica, vel ex ra-
tione humana adferuntur.

III.

Quod si verum est, quod Albertus
in.

in eadem propositione tam confiden-
ter asseuerat, nihil omnino certi di-
uini oraculis de hoc ipso proditum
esse.

IIII.

Ergò ex patribus pro vera doctri-
na Ecclesiæ haberi in hac materia po-
test nihil.

DE COENA DOMINI.

V.

Quia clarè dicit, ita nobis Christi
corpus seu Christum ipsum præsen-
tem esse. Sicut sol præsens est radijs &
luce, hac tam perspicua & propria
sua declaratione, dicimus eum planè
testari & conuictum esse, quod Sacra-
mentarius est.

VI.

Etsi enim vocabulis illis vtitur, Cor-
pus adest vere & substantialiter, ta-
men ingenue testatur, se ita intelli-
gere

gere illa vocabula, sicut & sol verè &
essentialiter vbilibet adest.

VII.

Id est, non veritate & essentia cor-
poris, sed radijs & virtute, seu luce
viuifica.

VIII.

Ergò non verè nec essentialiter.

IX.

Nisi quòd tantum ad fascinandos,
seu potius ludificandos suis præsti-
gijs auditorum animos, illis vocibus
veteratorie vtitur, non sentiens cor-
pus Christi in cœna præsens adesse
sua essentia & veritate, vel panem
esse corpus CHRISTI verum &
essentiale, sed adesse verbo & symbo-
lis.

X.

Id est, adesse verbum & symbola,
non substantiam & corpus CHRIS-
TI. Sic sol adest non corpore, sed
radijs & viuifica luce.

Voca

XI.

Vocabula, quantitatiue, qualitatiue & localiter, nihil sunt, nisi fucus & verborum strepitus.

XII.

Cum bene sciat, nos nihil hic disputare, vel de quantitate, vel qualitate, vel localitate.

XIII.

Imo nec ipse de his disputare potest, cum ex cogitationibus humani cordis, aut physica habeat rationes nullas, ex scripturis & patribus totidem, iuxta propositionem ipsius tertiam.

XIIII.

Etsi nos quoque docemus, modum presentiae & exhibitionis presentis corporis & sanguinis Christi in cena, non fieri ratione physica, nulla cum sensibilibus signis commixtione, inclusione, aut loci mutatione. Tamen mentitur Albertus, cum fingit se nihilominus veram & realem,
sive

siue substantialem praesentiam, iuxta
verba Christi asseuerare in coena.

XV.

Sicut mentitur ille, qui dicit praesentiam solis realem esse & substantialem, id est re & substantia adesse solem in terra.

XVI.

Cum ex ipsa Alberti declaratione certum sit, solem tantum radijs suis & viuifica luce adesse, sic & corpus Christi verbo & sacris symbolis.

XVII.

Quid igitur intelligat, cum dicit ore sumi praesentiam corporis Christi, suo tamen modo, propter admirabilem Sacramentalem vnionem. Satis manifestum est, sine dubio quod os manducet non rem sacramenti, sed symbolum.

XVIII.

Scilicet sic clare, aperte, explicite, & sine verborum praestigijs loqueretur

retur D. Albertus, si vir bonus, si can-
didus esset.

XIX.

Quamquam Christus cœnam suam
tantum instituit credentibus, tamen
ea cogitatione se velle euoluere &
subducere, quasi igitur de impiorum
manducatione altum debeat esse in
Ecclesia silentium, Aut differentia
sit, inter indignos apud Paulum, &
impios, hoc est impudenter scriptu-
ram è manibus nobis excutere velle.
Cum Paulus & de indignorum man-
dicatione non taceat, & indignos
procul dubio cum impijs pares ha-
beat, quia rei sunt corporis & sangui-
nis CHRISTI.

XX.

De harum tantarum rerum maie-
state, certum est D. Albertum nuga-
cissime nugari, tantum ex humanæ
rationis captu, contra sacramscrip-
turam, piam vetustatem cum scriptu-
ris

ris sentientem, & contra Augusta-
nam Confessionem.

X X I.

Nostrum nemo somniat crassam,
earnalem, localem & talem physica-
cam praesentiam ac manducationem
in coena, nec cum signis commixtio-
nem, inclusionem, nec haereticum, So-
phisticum vel Papisticum sensum.

X X I I.

Sed optima conscientia retinemus
& extollimus supra omnes sensus hu-
manos, sensum & proprietatem ver-
borum CHRISTI vnici Magistri
nostri, qui de pane in coena dicit,
Hoc est corpus meum, scilicet, quod
pro vobis traditur, ergo corpus es-
sentiale.

X X I I I.

Et quia hoc negat Doctor Al-
bertus

bertus, Ideo dicimus eum Sacramen-
tarium esse & hæreticum. Quam ma-
culam non Rhenus illi nec Albis ab-
sterget.

Dominus aut mentem ipsius illumi-
net, aut conterat Sathanam sub
pedibus nostris velociter,
Amen.

SENTENTIA
D. ALBERTI HARDEN-
BERGII, DE PROPOSITIONI-
bus Concionatorum Bre-
mensium,

Cum à me exigatur, vt sententiam
meam de postremis concionatorum
Bremensium de cœna positionibus
explicem, in hunc modum respon-

I.

A me controuersiam de cœna Do-
mini non excitatam esse.

II.

Sed tantum falsam doctrinam de
vbiquitate corporis Christi, quæ à
concionatoribus Bremensium, in pu-
blicis concionibus quotidie doceba-
tur, ac tandem in libris æditis, per to-
tam Germaniam diuulgata est, re-
prehensam ac taxatam esse.

III.

Et quamuis semper fideliter mo-
nuerim

nuerim, hanc disputationem, quomodo sit vbiq̃, à cœna Domini alienam esse, nec huc referri debere.

IIII.

Nihilominus tamen, hac fideli admonitione posthabita, Concionatores Bremenstium, Senatui Confessionem suam de cœna Domini exhibuerunt, in qua hæc asserunt.

I.

Verba CHRISTI, quibus in institutione cœnæ vsus est, simpliciter sine vlla interpretatione, vt sonat litera, intelligenda & accipienda esse.

II.

Ideò panem & vinum cœnæ Dominicæ esse verum & essentiale corpus & sanguinem CHRISTI.

III.

Et hæc quidem præsentia esse in
omni

omnibus locis, ubi cœna iuxta verba
institutionis celebratur.

IIII.

Quibus utiq; verbis, ubi-quitatem
corporis Christi, palam astruere co-
nati sunt.

V.

Hanc autem suam confessionem,
quia vident à veritate alienam esse,
nec posse defendi, novas hasce pro-
positiones, in quibus pleraq; omiſſa,
nonnulla mutata sunt, conscripserunt.

AD QVAS BREVITER
Sic respondeo.

I.

In præfatione dicunt, se non disce-
dere à scriptis & authoritatibus, à se
præallegatis, Cum tamen in ijs quæ-
dam, quæ asserunt, non habeantur.

I 4 Dissimu

II.

Dissimulant item, quòd à priore sua Confessione discedunt, in qua (vt antea dictum est) ubiquitatē corporis Christi, & quòd verba cœnæ, sine vlla expositione simpliciter, vt sonant, intelligi debeant, & quòd panis sit ipsum naturale & essenziale corpus Christi, pro nobis crucifixum posuerunt, quod in scriptis & auctoritatibus ab ipsis citatis non habetur.

III.

Repetit autem prima eorum positio, quòd panis sit corpus Christi essenziale, quod neq; verba, neq; institutio Christi habet, discedunt ergò ab illis.

IIII.

Cum dicunt, panem esse essenziale corpus Christi, omnino conuersionem & transubstantiationem, vel con-
substantiationem coguntur statuere, licet hoc in secunda positione negent. An autem nulla sit conuersio vel mutatio in pane, disputent alij cum Bremensibus. In

V.

In tertia dicunt, non esse vnionem personalem vel hypostaticam, sed Sacramentalem. Cœterum sacramentalis vnio, non requirit, vt panis essentialiter fiat corpus Christi, sed potius Sacramentaliter.

VI.

In quarta dicunt, Sacramentalem vnionem esse, quando sub, in, uel cum pane essentielle corpus Christi præsens adest in cœna, Quæ sanè longè alia est ratio, quàm cum dicunt, ipsum panem, esse essenziale corpus.

VII.

Deinde non idem est, sub, in, & cum pane esse. Et est officij eorum probare, hanc esse Sacramentalem vnionem, quam ipsi hic primi, quod equidem sciam, finxerunt.

VIII.

Si autem verbis Domini stricte inherere volunt, & ea sine interpretatione

tionem vlla intelligi, vnde tunc habent
has formas loquendi, quæ in literis
sacris non reperiuntur.

IX.

Ego tamen eas non reſcio, cum in-
terpretationem in verbis cœnæ ne-
cessariam ſtatuo.

X.

Et licet in terra cœna Domini per-
agatur, tamen non frustra Nicenus
Canon præcipit, vt non humiliter in-
tenti ſimus ad propoſitum panem &
vinum, Sed mente eleuati, fide confi-
deremus proponi agnum Dei.

XI.

Si modus eſt incomprehenſibilis,
quomodo ergo ſtatuunt, non eſſe in-
cluſionem localem? nam hoc eſt com-
prehendere velle modum, quodam-
modo.

XII.

Et ſi prorsus incomprehenſibilis
eſt, quomodo ergo Paulus Corinthiis
dicit,

dicit: Vt prudentibus loquor, vos ipsi iudicate.

XIII.

Sexta & septima disputabiles sunt, & in Ecclesia de his sub iudicibus lis est hactenus, quare haud scio, an illorum sit, illas tam confidenter asserere & hæreticos censere & statuere alios, quod ipsi in nona sua propositione faciunt.

XIIII.

Hæc & similia me in positionibus ipsorum offendere possent. Sed ego contra has non disputo, sed res est mihi cum prima ipsorum confessione, & supra dictis tribus propositionibus, quas ipsi probare tenentur. Nam licet dissimulent, tamen & in his suis positionibus illas quodammodo pingunt. Datum Brunsvigæ s. Februarij, anno 1561.

Albertus Hardenbergius.

CONTRA
SENTENTIAM
ILLAM D. ALBERTI
HARDENBERGII, PROPOSITI-
ones D. Ioachimi
Morlini,

I.
DE AVTHORE CON-
trouersia apud Bremenses,

I.
Verisimile scilicet est D. Albertum
controuersiam de cœna Domini non
excitasse.

II.
Verisimilius autem, eum controuer-
siam eandem nunquam excitaturum
fuisse, si cæteri Concionatores Bre-
menses suæ fidei obliti, homini per-
misissent furenter & impunè grassari
impio suo dogmate in miseras oues
Christi.

Hoc

III.

Hoc enim significat huiusmodi ver-
futas, & ad decipiendos hominum ani-
mos multis artibus instructis inge-
nijs, excitare controuersias, scilicet
sana docere, & obseruare ac refutare
corruptelas, inclamare furem & lu-
pum rapacem, iuxta Dei præceptum.

IIII.

Econtra non excitare controuersias, est illis, sanam doctrinam corrup-
pere, in bene constitutas & tranquila-
las Ecclesias irreperere, turbare pium
& salutarem consensum, inescare ho-
minum mentes &c.

V.

Vt Diabolus sit transfiguratus in
angelum lucis.

VI.

Solus autem Christus turbator pa-
cis & excitator omnium turbarum,
Etiam Beelzebub ipse cum suis do-
mesticis, Matth. 10.

Mania

VII.

Manifestum est, Concionatores Bremenses, consentientibus animis, eandem de cœna Domini doctrinã, fideliter in Ecclesia sua proposuisse, quæ ab initio semper in Ecclesijs Augustanæ Confessionis sonuit.

VIII.

Manifestum & hoc est, eos doctrinam eandem constanter adhuc retinere, eiusq; custodes esse indefessos.

IX.

Manifestum etiam est, D. Albertum ab ea doctrina Concinatorum Bremensium, & omnium Ecclesiarum Saxonicarum dissentire, & docere eidem prorsus contraria.

X.

Cum autem D. Albertus, post alios Concionatores (infausto sydere sic seminante inimico Zizania, in medio tritici) ad Ecclesiam Bremanam venerit,

Et

XI.

Et dissentientem doctrinam eidem Ecclesiae proposuerit, vter igitur alteri controuersiam mouerit aut exci-
tauerit, etiam bardis, & quouis trun-
co stupdioribus manifestum est.

XII.

Nisi quod ipse non bardus nec trun-
cus, optimè intellexit, hoc conatu suo
se nihil effecturum apud Ecclesiam
optimè institutam, si prima facie mox
proderet se sacramentarium esse, &
hoc agere, vt euerteret sententiam
altis mentibus ex Dei verbo insitam,
de praesentia & corporali manduca-
tione corporis Christi essentialis.

XIII.

Ideo, sicut sunt filij huius seculi pru-
dentiores filijs lucis in genere suo,
vt hominum oculos aliorum ab in-
stituto suo conuerteret, statum causae
dimouit, & finxit se de vbiquitate,
non coena Domini pugnare.

Cum

XIIII.

Cum tamen ingenuè fateatur & palam, Concionatores Bremenses ea ipsa re, fidelem (scilicet) admonitionem ipsius postero loco habuisse. Quia ad mandatum & postulationem Magistratus sui, confessionem suam, non quidem de vbiquitate seorsum, sed de cœna Domini exhibuerint.

XV.

Si igitur, non vt veterator malitiosè fingit, sed vt vir bonus candidè sentit, aliam esse de vbiquitate, aliam de præsentia corporis Christi in cœna quæstionem. Quare dicit, ea ipsa re perfidam suam monitionem posthabitam, quia de cœna Confessionem suam exhibuerunt inclyto senatui, Concionatores Bremenses?

XVI.

Sed veniamus nunc ad illas ipsas propositiones, de quibus ex professo sibi litem esse, contestatur hic locutus leius noster.

DE

II.

DE PRIORICONFES- sione Concionatorum Bre- mensium.

XVII.

Bremenses nostri, vt humiles Chri-
sti Iesu serui, per panem in cœna,
quod ad substantiam suam attinet,
idem intelligunt, quod in hac propo-
sitione, Satiavit Dominus quinq; mil-
lia hominum, quinq; panibus Ioan. 6.

XVIII.

Hoc ita iubet authoritas Pauli 1.
Cor. 10. de vno pane participamus,
& ca: 11. Quotiescunq; manducabitis
panem hunc &c.

XIX.

Si habet, quod ex Papistica transub-
stantiatione, vel aliunde contradicat
Albertus. Ingenue hoc adferat.

XX.

Corpus intelligunt, sicut in illa pro-
positione, Mar: 14. Præuenit vngere
K corpus

corpus meum in sepulturam. Et i. Pet.
2. Peccata nostra ipse pertulit in cor-
pore suo.

X XI.

Ita enim iubet authoritas Christi,
contra omnes furias & furiosas pe-
stes omnium Albertistarum & Cin-
glianorum. Luc. 22. Hoc est corpus
meum, scilicet, quod pro vobis tradi-
tur.

X XII.

Et quia ex his verum est, quòd pa-
nis hic significat simpliciter panem,
& corpus substantiam illam simpli-
cissime, quæ pro peccatis totius hu-
mani generis est in sacrificium obla-
ta.

X XIII.

Ergò vera est, etiamsi se rumpat Sa-
than, propositio vtraq;, primum ver-
ba cœnæ sine vlla interpretatione, vt
sonat litera, intelligenda & accipi-
enda esse, Luther: in Confessio: ma-
iori Tomo: 2. fol: 210. facie 2.

X XIII.

Deinde panem esse verum, essen-
tiale,

tiale, naturale & corporale corpus
Christi.

SEQVITVR EX HIS TERTIA
quæ Albertum in præcordijs vrit.

XXV.

Corpus igitur & sanguinem Iesu
Christi nobis præsentia esse in om-
nibus locis, vbi cœna iuxta institu-
tionem celebratur.

SEQVITVR PROPOSI-
tio quarta omnium evidentissimè.

XXVI.

Quia Albertus in explicatione sen-
tentia suæ toties pronunciat, Bremen-
ses ex his vbiquitatem corporis Chri-
sti astruere.

XXVII.

Igitur contra conscientiam propri-
am eum mentiri imprudenter & cras-
se, quotiescunq; coram misera plebe-
cula fingit, se de vbiquitate conten-
dere, remota à cœna Domini.

XXVIII.

Sed vbiquitatē ideò vbilibet vrget,

K 2

VI

vt vacuum & nudum panem, Eccle-
siae pro testamento Christi obtrudat.

XXIX.

Quidquid enim fingit de virtute &
efficacia, alijsq; bonis, nobis cum pa-
ne exhibitis vel exhibendis, meræ
tantum sunt nugæ, imposturæ, præsti-
giæ & phantasiæ.

XXX.

Quibus oculos hominum fascinare
præsumit, ne animaduertant, non fur-
tum dico, non Sacrilegium, sed his
omnibus infinitis modis longè atro-
cius, & prorsus nefandum, supra Dia-
bolum ipsum scelus & flagitium su-
um.

XXXI.

Cum bene sciat etiam Albertus ip-
se, extra institutionem Christi, ad so-
lum arbitrium cogitationes & per-
suasiones suas, vel etiam totius mun-
di, horum nihil adesse.

XXXII.

Remota verò essentiali præsentia,
exhibio

exhibitione ac manducatione corporis Christi corporali è cœna, ea non sit amplius institutio Christi.

XXXIII.

Ergo nec testamentum eius.

XXXIII.

Igitur nec vllorum ipsius bonorum exhibitio.

XXXV.

Tantum igitur horrenda prophæ-
natio testamenti filij Dei.

XXXVI.

Et super omnia furta & sacrilegia
scelus pessimum, quo defraudatur Ec-
clesia ijs bonis, quæ ad ipsam ex re-
bus diuinis, diuino iure, & voce testa-
menti Christi pertinent.

XXXVII.

Animarum deniq; multarum mise-
rabilis & æterna perniciës.

XXXVIII.

Quod tum demum sentiet Alber-

K 3

tus

tus, cum anima reddenda erit creato-
ri suo, & de hoc in illo die, totius ter-
rarum orbis iudici Christo, & Eccle-
siae respondendum.

III.

DE POSTREMA CON-
fessione Bremensium Concio-
natorum.

XXXIX.

Fatetur Albertus in huius partis
propositione sua, 3. Concionatores
Bremenses repetere ex priori sua con-
fessione, quòd panis sit corpus Chri-
sti essentialiale.

XL.

Ergò mentitur in propositione se-
cunda eiusdem, cum dicit, Conciona-
tores Bremenses à priori sua confes-
sione discedere.

XLI.

Cum hanc propositionem etiam Al-
bertus ipse fateatur, totius controuer-
siae Crinomenon esse.

XLII.

Mentitur & in tertia, quod neq;
verba, neq; institutio Christi hanc pro-
positionem habeant. Cum

XLIII.

Cum enim Christus dicat, panem esse corpus suum.

XLIII.

Et corpus intelligat, pro illa substantia, quæ pro nobis in cruce tradita est, supra propos: 20. & 21.

XLV.

Nisi igitur cum Marcione sentiat D. Albertus, Christi corpus non esse essenziale, sed fantasticum.

XLVI.

Aut per febrim somniet, corpus Christi (quod ipse sine verbo Dei fingit) sacramentale, pro nobis traditum esse, non corpus essenziale.

XLVII.

Omnino inuitis omnium inferiorum portis, fateri cogitur, panem iuxta verba & institutionem Christi, esse ipsius corpus essenziale.

XLVIII.

Cum sint prorsus idem, corpus Christi pro nobis traditum, & corpus Christi essenziale.

K 4

Quod

XLIX.

Quod autem dicit, his verbis omnino statui, vel conuersionem & transubstantiationem, vel consubstantiationem, eadem facilitate contemnitur qua probatur.

L.

Et bene facit spectabilis Dominus Doctor, quod hanc disputationem ad alios remittit, sibi in loco cum milite glorioso cauens.

LI.

Scimus nos quoque, sacramentalem unionem non requirere, ut panis essentialiter fiat corpus Christi, nec illud dicimus aut docemus, & hactenus non docuimus.

LII.

Non tamen ideò alia oratio est, quando dicimus, sub pane vel cum pane est corpus Christi, nisi tantum cum pueris grammaticè de uocabulis, aut literis & syllabis pueriliter litigare uelis, non de sensu.

LIII.

Christus dicit, panem in cœna esse
COR=

corpus suum naturale vel essentiale.
Ergo verum est.

LIIII.

Ne quis autem sentiat, propterea panem transire in naturam Corporis Christi, & transubstantiati. Ideo Paulus dicit, manducari panem etiam postquam accepit benedictionem, ut supra propos. 18. Ergo verum est.

LV.

Vt igitur explicemus fidem nostram, & ostendamus eam consentientem esse verbo Dei, quod testatur cœnam duabus rebus hic presentibus constare, pane scilicet & substantia corporis Christi. Ideo formulis illis, in pane, sub pane &c. cum pia antiquitate utimur, non autem ut verba Christi interpretemur.

LVI.

Cumque ita duæ ille res, in Sacramento sint verbo Dei unitæ, ideo vocamus unionem Sacramentalem, non primi ut nugatur Albertus, Sed cum Luthero & alijs, quos arbitramur suis fundamentis nixos, nobis apud Albertum sufficere & satis esse. De

LVII.

De Synodo Nicena, non est verum simpliciter, quod citat Albertus, eam velle, vt mente eleuati, fide considerare mus proponi agnum Dei.

LVIII.

Sed iubet nos fide cogitare, ipsum agnum Dei in hac sacra mensa positum esse.

LIX.

Quibus verbis, non aptat seorsim mentem & fidem corpori, & attentionem sensuum exteriorum pani, vt quidam nasutulus nuper scripsit.

LX.

Sed aptat Synodus fidem & mentem toti actioni, vt statuamus non panem solum, vt sensus nostri humiliter iudicant, sed super sensus & captum nostrum, iacere in hac mensa presentis illum ipsum agnum Dei, qui tollit peccata mundi, ita vt reuera sumamus preciosum eius corpus & sanguinem.

LXI.

Et ne quis ad manducationem spirituales hac torqueat tantum. Ideo Synodus

nodus cum Ireneo, Cyrillo & alijs patribus addit, oportere nos credere, hæc esse futuræ resurrectionis symbola.

LXII.

Contra, sicut sol fixus est in suo eccentrico, inquit Albertus, ita hic agnus suo corpore tantum sursum est, & cœlo inclusus, vt sicut ille in terra corpore suo solari. Ita hic in cœna, sua essentia adesse nequeat.

LXIII.

Dicere igitur, quod D. Albertus Canonem illum seruet, est dicere, quod Diabolus seruet omnes articulos fidei nostræ.

LXIIII.

Modum præsentia (quomodo adsit corpus Christi essentiale) ratione & sensibus nostris incomprehensibilem esse, ex ipsa rerum euidencia statuimus.

LXV.

Ideoq; nullis locorum, aut spaciorum dimensionibus comprehensum vel circumscriptum dicimus.

LXVI.

Quod verò inde colligit Albertus,

tus,

tus, nos igitur modum comprehen-
dere velle quodammodo, nihil aliud
facit, quod pro more suo suauiter
nugatur, ut magno verborum stre-
pitu, hominum aures repleat.

LXVII.

Cum alioqui bene sciat, non esse
definire rem, etiam si dicas, quid non
sit res.

LXVIII.

Corinthiis ideo dicit Paulus, ut pru-
dentibus loquor, ut testetur nobis, &
omni posteritati, Sacramentarios om-
nes coram Deo, extremè & pernicio-
se stultos esse,

LXIX.

Nam Corinthios ex verbis institu-
tionis rectè informatos, sciebat firmi-
ter credere, panem esse corpus Chri-
sti essentialè, quæ erat vere diuina
prudentia.

LXX.

Hoc igitur cum antea scirent & sic
tenerent, ideò ex hoc fundamento
ipsis bene perspecto, concludit Pau-
lus, omnes esse vnum corpus in Chri-
sto.

Non

LXXI.

Non tantum quia fide sumus con-
sociati Christo, Sed quia de hoc
pane benedictionis manducamus,
Qui iuxta ipsius institutionem, & ver-
ba cœnæ, est communicatio corporis
Christi.

LXXII.

Et quia idem affirmant, in sexta &
septima propositione sua Bremen-
ses, quod hic Paulus docet, ideò in Ec-
clesia Christi de illis propositionibus
prorsus nulla est lis aut contentio.

LXXIII.

Nisi quatenus hæretici & Rotten-
ses sunt quoq; in Ecclesia, sicut gan-
grena in humano corpore, & fur in
ædibus.

LXXIIII.

Taliter pronunciare, & sententiam
ferre contra illos, qui aliud Euange-
lium docent, & sua contra Christum
pertinaciter defendunt, non liberum
sed diuinitus mandatum est, omni ho-
mini Christiano, Matth. 7. & 16. Ioan.
10. 1. Cor. 16. Gal. 1. Ad Tit. 3. & 2. Ioan. 1.
Si

Si quis hic iubet Ecclesiam Academicorum more dubitare, eille omnibus hæreticis peior, & hæreticorum omnium patronus rectè censetur.

CONCLUSIO.

Quòd sub finem addit Albertus, se non disputare contra posteriores propositiones Bremensium. Quæso pius lector paululum animaduertat, qua conscientia, homo ille, hanc tantam rem tractet, scilicet omnia carpit & arrodit, etiam illa de localitate, quæ tamen in suis quoque propositionibus simpliciter asserit, statuit etiam se habere pro fundamento, contra Bremensium posteriores propositiones, institutionem & verba filij Dei, & Canonem Nicenæ Synodi. Si hæc vera sunt, qua conscientia, neglectis & sepositis his fundamentis tam gravibus, dicit nunc, se nihilominus non velle disputare contra illos, cum quibus tamen hæctenus acerbissimè contendit, & nunc quoque in hoc scripto

contentio.

contentiosissimè rixatur? Idem prorsus facit in propositionibus suis, quibus summariam suam doctrinam complexus est, de quibus vide Magistri Martini Coadiutoris mei Anatomem & discite, si non propter gloriam Iesu Christi redemptoris tui, saltem propter miseram conscientiam tuam, cui committas omnem tuam salutem, si huiusmodi vertiginosos spiritus audias. Qui post tam crassas monitiones sordet, sordescat, suo proprio iudicio damnatus. Nos liberauimus animas nostras. Sit gratia Christo, Amen.

Ioachimus Morlin D.

ISLEBII

EXCVDEBAT VRBANUS
GUBIUS.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

121311

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.




153468

AB. 153 468

X2203850

105.





2.

ANATOMIE
PROPOSITIONUM
ALBERTI HARDENBERGII DE COENA DOMINI,
quas exhibuit ordinibus Saxonie inferioris in conuentu Brunsvigensi. Additæ sunt etiam propositiones Ministrorum
Ecclesiæ Brunsvigensis.

Et
DECLARATIO ARTICVLI DECIMI in Confessione Augustana de cœna DOMINI, sumpta ex publicis Confessionibus & historijs nostrorum temporum.

Per Martinum Kemnecium Ministrum Ecclesiæ Brunsvigensis.

Adiuncta sunt alia quædam eiusdem argumenti à D. Ioachimo Merlino.